
SUUM · CUIQUE
IEHOVA JIREH
S.r Archibald Grant of Monymoske Bar.t

F. Panton

Nº 171

0-4-0

١٢١

Grāmatica Latina Philippi Melanchthonis.

Syntaxis, ſeu de conſtructione libellus eiuſdem.

De periodis.

De quantitate ſyllabarum.



PARISIIS.
Ex officina Roberti Stephani.
M. D. XXXIX.

CHILIANVS GOLTSTEIN LECTORI SALVTEM.

CVM tot passim extent Latina grammatica, ex quibus ad percipienda hæc prima sermonis elementa informari puer non incõmode possit, nihil minus mihi permittere voluit Philippus Melanchthon, quàm vt publicè omnibus inuulgarentur hæc sua grammatica, quæ ille primùm nequaquã in hoc conscripsit vt ederẽtur: sed in vsum tantũ atque vtilitatem puerorũ quorundam, quos priuatim erudiendos, formandósque ad humanitatem suscepit. Verum ego, tametsi is serio reclamabat; cum significarem me editurũ esse, minime tamen passus sum vel meo cum periculo, huius voluntatem diutius obstare vtilitati puerorũ, atque commodo: quod scio equidẽ non mediocre ad illos rediturum esse, si huius institutione, rei grãmatices diligenter fundamentũ iecerint, in quo subsequẽtes deinde reliquæ literarum disciplinæ firmius ac fidelius subsistere possint. Accedit item, quòd res omnis simplicissimè ad huius ætatis captũ & modulum accõmodato certóque ordine traditur, siue quòd sic est in docẽdo vbique authoris peculiare ingenium atque ratio, siue quòd hoc imprimis hic fieri decuit. Est enim valde vitiosa ac odiosa simul, hæc anxia nimis & superstitiosa tradendarũ artiũ curiositas, quæ à recta, simplici, & hac compendiaria docendi ratione longius recedit. Nam præterquã quòd ex ea paulo liberali9 ingeniũ magno quodã tædio & molestia animi afficitur, per-

tenuem etiam institutionis huius omnis fructum sentit. Illud meo quidē iudicio multo rectius atque vtilius est, vt os tenerum pueri balbúmque figuret præceptor, primùm ex pauculis aliquot simpliciter & nudè propositis regulis : quibus mox deinde succedat assidua authorū lectio , auditio , stylus multus. Valde nocent studijs puerorum pædagogi, qui remorātur illos quo minus statim assuescāt ad optimorum authorum lectionem, vnde & natæ sunt primùm præceptiones artium omnes , & certior omnino solidiórque dicendi facultas peti potest. Sed multo plus nocent alij, qui in minutioribus & puerilibus illis linguarum tradendis elementis suum prętermittunt officiū tam necessarium, dum interim infirmæ huic atque rudi ætati eos authores proponūt, quibus illa nullo modo aut matura sit satis, aut idonea. Atque hoc illud est , cur plurimi sæpe robustiores iam facti descis cāt à literarū cultu atque studio omni: quia in hac prima & puerili institutione neglecti , desperant se deinceps posse ad frugem aliquam peruenire. Proinde confido prorsus lector, cum hæc & alia tecum animo reputes, te facile collaudaturum hoc factum meum, qui quātumuis reclamante etiā Philippo, prodesse volui hac editione pueris, quorum pium planè est inseruire studijs, quocunque id possis saltem vel consilio , vel ratione, vel opera. Vale. VVittembergæ.

De Grãmatica.

G RAMMATICA, eſt certa loquendi & ſcribendi ratio. Niſi enim grãmatica diſcernat voces, & oſtendat certam quandam rationem componendarum vocum, quomodo intelligemus quod quomodocunque conſutis verbis effertur? vt, Petrus percuſſit Fabius: nihil certi ſonat. Ita ſi promiſcuè ſcribas Vallo & Fallo, cõfundentur legentium animi. Eſt ergo inuenta grãmatica, vt teneamus certũ artificium loquẽdi & ſcribendi. Nomẽ γραμματικὴ proprie ſignificat Gallis *Science d'eſcrire*. Habet enim nomen à primis artis initijs, videlicet à literis. Nam γράμμα ſignificat idem quod litera.

PARTES GRAMMATICES.

ORTHOGRAPHIA, quæ docet rectè ſcribere, vt Vallo per v, Fallo per f. Ab ὀρθῶς rectè, & γράφω ſcribo.

PROSODIA, quæ docet accentus, vt Líbere, libêre. προσῳδία, latine accentus.

ETYMOLOGIA, quæ diſcrimina caſuum in dictionibus tradit, Fortis fortiter, lego legis. ἐτυμολογίαν Cicero vertit Veriloquium, eo quòd dictionum proprietatem tradat. Quanquam enim eadem ſignificent Bonus & Boni, tamen alia eſt in alio caſu proprietas. ἔτυμον, verum, rectum, cer-

tum. ab ἰπιὸν, quod ab εἶμι deducũt. λόγος ſermo.

SYNTAXIS, eſt ratio cõiungendarũ vocum ſeu faciendæ orationis: à συντάττω ordino.

ORTHOGRAPHIA, literarũ rationẽ cõtinet.

Literæ.

Literæ tres & viginti ſunt
A b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z.
In his Græcæ ſunt k & y & z.
h, aſpiratio eſt.

VOCALES

a e i o u.

	æ	Muſæ.
Ex his conflantur	œ	Fœlix.
diphthongi,	au	Audio.
	eu	Eurus.

Et antiqua ei, vt parteis, omneis. Cuius vſus eſt in accuſatiuis declinationis tertiæ, nominum quæ duabus conſonantibus exeunt. δίφθογγος, id eſt geminus ſonus vnius ſyllabæ, vt apparet in au & eu. Nam & æ & œ veteres aliter pronuntiabant quàm nunc pronuntiari ſolent.

CONSONANTES

Sunt reliquæ literæ præter vocales.
Ex his
Aliæ ſunt mutæ, b c d f g k p q t.
Aliæ ſemiuocales, l m n r s x z.
Liquidæ, l m n r. Sic dicuntur, quòd in bre-

ui ſyllaba nonnunquam liqueſcant,vt extendatur ſyllaba,ténebræ,tenébræ.Cætera docebit vſus artium magiſter.Eſt autem accuratè cauendum, ne in ſcribendo negligant orthographiam pueri, quòd expeditius legantur, & intelligantur quæ probè ſcripta ſunt.

DE ETYMOLOGIA.

Ετυμολογία, id eſt proprietas dictionis. Docet enim diſcrimina caſuũ in dictionibus. Non enim eadem eſt harum vocũ ſignificatio prorſus, Virgilius & Virgilium,ſcribo & ſcripſi.

Partes orationis octo sunt

Nomen, Pronomen,Verbum,Aduerbium,Participium,Coniunctio,Præpoſitio,Interiectio.

Nomen, eſt pars orationis quæ rem ſignificat, non agere aliquid,aut pati.

Nomen duplex.
- Proprium.
- Appellatiuũ quod eſt multis cõmune.
  - Subſtantiuum,cui non poteſt addi *homme, femme, choſe*: vt Campus.
  - Adiectiuum, cui addi poteſt *homme,femme, choſe*; vt Albus vir, alba mulier ,album pecus.

NOMINI accidunt, Comparatio, Genus,Numerus, Figura, Caſus, Declinatio.

DE COMPARATIONE.

Comparantur nomina, quorum ſignificatio augeri,minuíve poteſt.

Gradus comparationis ſunt,Poſitiuus,Comparatiuus,Superlatiuus.

POSITIVVS, prima vox adiectiui eſt:Bonus, Albus,Candidus.

COMPARATIVVS,qui ſupra poſitiui ſignificationem (magis)ſignificat.

Terminationes ſunt, Maſculina, & Fœminina, or: Neutra,us. *

REGVLAE.

Cõparatiuus fit regulariter à poſitiui caſu in i: vt,Candidi candidior, Eruditi eruditior,

Forti fortior, Amici amicior,

Spurci ſpurcior, Fœlici fœlicior,

Prudenti prudentior, Nigri nigrior,

Pudici pudicior. Salubri ſalubrior.

Quidã indocti in his cõparatiuis amicior,pudicior,addunt ſyllabã. pronuntiant enim amicicior, pudicicior. Id fit cõtra rationẽ, & vſum veterum.

Exceptio.

Quæ habent vocalem ante us vel is, non formant comparatiuos iuxta regulam ſuprapoſitam. Sed comparatiuus deſcribitur adiecta voce (MAGIS) ad poſitiuum,

Pius	magis pius.
Idoneus	magis idoneus.
Strenuus	magis ſtrenuus.
Tenuis	magis tenuis.

Inuenies tamen vſurpari ſæpe Tenuior.

SVPERLATIVVS, qui (VALDE) significat supra positiui significationem.

Terminationes habet, rimus, simus, limus.

REGVLAE. I.

Quæ r finiũt, superlatiuos faciũt, adiecta rimus.
Acer acerrimus, Teter teterrimus,
Ater aterrimus, Niger nigerrimus,
Saluber saluberrimus, Pulcher pulcherrimus.

II.

Quæ aliter finiunt, superlatiuum faciunt adiecta s & simus, ad positiui casum i desinentem.
Prudenti prudentissimus, Candidi cãdidissimus,
Docti doctissimus, Fœlici fœlicissimus.

III.

Limus finiunt hæc tantũ.
Humilis humilimus, Facilis facilimus,
Gracilis gracilimus, Similis similimus,
Agilis agilimus.

Poetæ geminant l. Rara auis in terris, nigróque simillima cygno.

IRREGVLARIS COMPARATIO.

Veniunt gradus à Præpositionibus.

1 Extra exterior extimus, extremus vsitatius.
2 Intra interior intimus.
3 Vltra vlterior vltimus.
4 Citra citerior citimus.
5 Supra superior supremus, & summus.
6 Infra inferior infimus.
7 Post posterior postremus.
8 Prope propior proximus.
9 Ante anterior.

Sunt & hæc anomala,

Bonus,melior,optimus. Malus,peior,peſſimus.
Magnus,maior,maxim9.Paruus,minor,minim9.
Multus plurimus, multa plurima, multum plus plurimum. Plurali numero tamen maſculinum & fœmininum vſurpatur Plures.
Dexter dextimus.

A volo,dico,& facio ſic comparantur,

Beneuolus,beneuolentior,beneuolentiſſimus.
Maledicus,maledicentior,maledicentiſſimus.
Magnificus, magnificentior,magnificentiſſimus.
Vet9,veterior,veterrimus: nã olim Veter dicebãt.
Nuper nuperrimus.
Prior,primus,à pridem fecit Priſcianus.

Eſt & cõparatiuus deterior, & ſuperlatiuus deterrimus,quorum poſitiuus deter,non eſt in vſu.

Quædã adiectiua bifariã finiunt in poſitiuis,er vel is.Sunt autem, hic Acer acrior acerrimus,hæc Acris acrior acerrima, hoc Acre acrius acerrimũ.
hic Alacer,hæc alacris,hoc alacre.
hic Celeber,hæc celebris,hoc celebre.
hic Saluber,hæc ſalubris,hoc ſalubre.
hic Volucer,hæc volucris,hoc volucre.

Eiuſmodi ſunt & celer,campeſter,equeſter, pedeſter,paluſter,ſylueſter,ſequeſter.

Mutantur & ſic,hic & hæc Acris,& hoc acre.
hic & hæc Alacris,& hoc alacre.
hic & hæc Salubris,& hoc ſalubre.
hic & hæc Volucris,& hoc volucre.

Cæterum in comparando obſeruabis quid probet vſus & eruditorum authoritas. Non enim o-

mnia nomina cōparari possunt, tametsi nihil vetet significatio: sed quia vsus eorum comparationem non probauit, vt almus: & quæ bundus finiunt, vt sitibundus, moribundus.

DE GENERE.

Genera sunt,

Masculinum, cuius nota est articulus, hic.
Fœmininum, hæc.
Neutrum, hoc.
Commune, hic & hæc.
Omne, hic, hæc, hoc.
Επίκοινον, seu promiscuum, cū vno articulo duo genera complectimur: vt hic passer, hæc aquila.
Dubium, cum authores variauerūt de vocis alicuius genere: vt hic dies, vel hæc dies.

REGVLAE GENERALES.

I.

Virorum, officiorum virilium, mensium, ventorum, fluuiorum nomina, sunt generis masculini.

Virorum nomina.

Hic Virgilius, Hic Carolus.

Officiorum.

Consul, Prætor.

Mensium.

Ianuarius, *Ianuier*, à Iano, cui erāt rerum principia dicata.
Februarius, *Feurier*, à Februis, id est sacrificijs.
Martius, à Marte, *Mars*.
Aprilis, *Apuril*, quòd aperiat terram.
Maius, *May*, à Maia Mercurij matre: tū enim Pleiades prodeunt.

Iunius, *Iuing*, à Iunone.

Iulius *Iullet*, à Iulio Cæſare. antè Quintilis fuerat dictus, quòd quintus eſſet à Martio, qui quondam fuit ãni initiũ, more AEgyptiorũ, qui à vere inchoant annũ. erántque tũ x tantũ menſes.

Auguſtus, *Aouſt*, ab Auguſto Cæſare, quondã Sextilis.

Septẽber, *Septembre*, id eſt ſeptimus imber: id eſt, tẽpeſtas. Eſt enim ſeptimus menſis à Martio qui quondam auſpicabatur annum.

Octobe, octauus imber, *Octobre*.

Nouember, nonus imber, *Nouembre*.

December, decimus imber, *Decembre*.

Ventorum.

Eurus, ab ortu.	Zephyrus, ab occaſu.
Auſter, à meridie.	Aquilo, à ſeptentrione.

Fluuiorum.

Rhenus,	In quibuſdam variat vſus. vt Al-
Danubius,	bula pota Deo, apud Ouidium.
Albis.	Item Allia, Styx, Lethe, fœminina.

II.

Mulierum, muliebrium officiorum, vrbium, arborum nomina, ſunt generis fœminini.

Mulierum, vt Lucretia, Carmenta.

Officiorum muliebrium, vt obſtetrix.

Vrbium, vt Roma, Noriberga.

Arborum, vt pyrus, pomus, ficus.

Exceptio.

Vrbium nomina quæ in um aut ur finiũt, ſunt generis neutri: vt Comum, Tibur.

Sunt & arborum quædam maſculina: oleaſter,

rubus, dumus, frutex. Siler, neutrum eſt.

Cætera vſus authorum docebit.

Degenerãt & in genus fœmininum κατὰ σύνθεσιν fabularũ nomina, tametſi alioqui maſculina, vt apud Terentium, In Eunuchũ ſuam. tunc enim Eunuchus fabulam ſignificat, non perſonam.

III.

Fructuũ nomina generis neutri ſũt: pomũ, pyrũ. Ficus pro arbore & fructu genere fœminino, & declinatione ſecunda, & quarta plerunque effertur ab his qui diligenter locuti ſunt. Horum conſuetudinẽ nos quoque ſequamur. Nam rariſſime reperitur ficus genere maſculino.

REGVLA.

Neutrum genus tribuitur etiam ijs quæ τεχνικῶς efferuntur, ſeu, vt vulgus vocat, materialiter. vt cum dico, CAESAR diſſyllabum eſt. Græci addunt articulum τό.

IIII.

Numeralia nomina à quatuor ad cẽtum, indeclinabilia, generis omnis ſunt. Cætera ſic variantur declinabilia. Vnus, vna, vnum,
hi duo, hæ duæ, hæc duo,
hi tres, hæ tres, hæc tria.

Indeclinabilia.

Quatuor, quinque, ſex,
Septem, octo, nouem,
Decem, viginti, triginta,
Quadraginta, quinquaginta, ſexaginta,
Septuaginta, octoginta, nonaginta,
Centum.

A CENTVM composita variantur per genera, mutatis terminationibus.

Ducenti	æ	a	Trecenti	æ	a
Quadringenti	æ	a	Quingenti	æ	a
Sexcenti	æ	a	Septingenti	æ	a
Octingenti	æ	a	Nongenti	æ	a

Mille bifariam vsurpant Latini, aliàs adiectiuè, aliàs substantiuè.

Adiectiuum Mille indeclinabile est, plurale tantum, generis omnis: Mille homines, Mille hominum, Mille hominibus, &c.

Substãtiuũ Mille, singulari numero indeclinabile est, generis neutri, hoc mille. Mille passuum percurri. Plurali sic declinatur, Millia, Millium, Millibus, Millia, Millibus. vt, Duo millia equitũ habuit in exercitu Carolus. vel, Bis mille equites.

V.

Quæ conueniunt viris ac mulieribus, communis generis sunt: vt hic & hæc homo, hic & hæc pincerna.

VI.

Adiectiuorum, alia tribus terminationibus tria genera cõtinent: vt hic albus, hæc alba, hoc albũ. Alia duabus: hic & hæc fortis, & hoc forte.

Alia vna terminatione tria genera cõtinent, quæ dicuntur omnis generis: hic & hæc & hoc fœlix, locuples.

Quædam nomina cõmunis generis, quæ plerũque vt substantiua vsurpantur, interdũ tamen adiectiuè vsurpata neutrũ genus recipiunt: vt Hospes, Diues, Pauper. Vt apud Ouidium, Diuitis ingenij est immania Cæsaris acta Condere. Et a-

pud Virgilium, Pauperis hoc tuguri congeſtum ceſpite culmen. Sed obſeruandū eſt quos caſus receperit vſus. nō enim dicimus paupera pluraliter.

VII.

Volucrum nomina, vna terminatione duo genera cōplectentia, dicuntur ἐπίκοινα, id eſt promiſcui generis: quòd vna voce, vno articulo duo genera promiſcuè, ſinéque diſcrimine ſexus efferantur: hæc pica, hic paſſer, hæc aquila, hic pauo, hæc cornix, hæc coturnix, hæc alauda, hic picus.

Terminatio articulū indicabit. Nam a, ferè fœminina terminatio eſt: er, maſculina: us, maſculina.

Excipe quorum diſcretæ ſunt terminationes: hic gallus, hæc gallina.

Hic columbus, hæc columba.

Hęc grus, vſitaté. Virgilius, Strymoniǽque grues. Et Plin. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes, qui laſſatis ſomno decidens, indiligentiam ſono coarguat: cæteræ dormiunt.

Hic Bubo: Ouidius, Ignauus bubo, dirum mortalibus omen. Hæc bubo: Virgilius, Soláque culminibus ferali carmine bubo.

Hic aut hæc dama.

VIII.

Dubii generis ſunt, quæ ab authoribus alio atque alio genere vſurpata ſunt: vt,

hic dies, hæc dies. hic aluus, hæc aluus.

hic finis, hæc finis. hic adeps, hæc adeps.

hic margo, hæc margo. hic ſilex, hæc ſilex.

hic pumex, hæc pumex.

hic calx. Rigidos calces,Perſius.
hæc calx.Ferrata calce,Virgilius.

Priſcianus & Nonius Marcellus plurima recenſent. verùm eſt in his ſequenda conſuetudo receptiſſimorum authorum.Frõtem maſculino genere dixit Cæcilius:id nunc eruditi nulli imitantur. Sic Cardinẽ fœminino dixit Gracchus. nos potius Virgilium ſequamur, Tanto ceſſabit cardine rerum.Ita de reliquis iudicabit puer.

SEQVVNTVR REGVLAE SPECIALES.

A

In a,fœminina ſunt:vt hæc Muſa.
Excipe Græca:hic poeta,hic planeta, hic cometa.
Excipe & pluralia in a,vt Arma.& Græca neutra, vt Poema.
Polenta, neutrũ apud Ouidium, Dulce dedit tẽſta, quod coxerat antè polenta. Fœminino, Cũ liquido miſta perfudit diua polenta.
Adria, maſculinum apud Lucanũ, Vagus Adria.

Cõmunia ſunt quæ ad viros & mulieres pertinent,vt ex generalibus regulis conſtat: incola,homicida,indigena.Veteres etiam dixêre Indigenus indigena indigenum.
Alienigena vina,apud Valerium.
Caprigenum pecus,apud Virgilium.

E

In e,neutra ſunt:vt hoc mare.
Græca,fœminina ſunt:vt Pentecoſte πεντηκοστὴ.
Quædam & neutra: tempe, cete, quod plurale eſt à κῆτος.

CHARON, noctis & Herebi filius, tria inferni flumina seu paludes obseruare dicitur, puta Acherontem & Stygem, Cocytum, & animas mortuorum ad profundũ Herebi transuehit, quem Virgilius in VI. pulchre describit, Charon.

Portitor has horrendus aquas, & flumina seruat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta iacet, stant lumina flamma,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,
Ipse ratem conto subigit, velísque ministrat,
Et ferruginea subuectat corpora cymba:
Iã senior, sed cruda deo viridísq; senectus.

NAVLVM, pretiũ quod nautæ pro vectura soluitur. Iuuenal. Furor est post omnia perdere naulũ. Naulum.

TRAIICERE, id est trãsuehere siue trãsportare. Inde traiect⁹, locus vbi homines & res traiiciũtur, *le port*. Traiicere.

HAVD QVAQVAM AVFERRE QVEAS. Etiã ad hãc sententiã pertinet illud adagium quod vsurpat Plautus in Asinaria, Nudo detrahere vestiméta me iubes.

NVM EA GRATIA. quasi dicat, non. Significatio huius monosyllabæ num, est ferè eadem quæ an, sed subintelligitur non. Terentius in Andria, Vide num eius color pudoris signũ vsquã indicat. quasi dicat nõ. Num.

SENTINA, locus est in ima naui, ad quẽ sordes vndique defluit, & aqua ipsa in ima naui. Sentina.

VT, sequẽte ablatiuo pulchrè capitur pro quippe siue vtpote. Quintil. Nec ignoro igitur quos trãseo, nec vtique dãno, vt qui dixerim esse in omnibus vtilitatis aliquid. Vt qui.

VECTOR significat & eum qui vehit, & eum qui vehitur. Vector.

HECATE, triformis vmbrarũ est dea: sic dicta, vel quòd centum victimis placetur: vel quòd centum annos faciat errare insepultos. Tortellius & plerique alii putãt eandem esse cum Proserpina: verũ Lucianus à Proserpina Hecatem in Necromantia separat. Per cœnam Hecatæ, vilẽ & parcam intellgas. Nam vmbræ victitãt malua & asphodelo vilissimis herbis: præterea menades pisces, & triglas in deliciis esse Hecatæ, atque illi sacras testatur Hecate.

Athenæus lib. VII. Nã hi pisciculi vilissimi sunt: & trigla etiam à ternione dicitur: qui numerus Hecatæ sacer est. Ita me docuit vndecũque doctissimus Erasmus. DICTERIA. Scribit Macrobius omnia quæ facetè & breuiter & acutè dicuntur, ea dicteria appellari.

Dicteria.

Cratetis ac Diogenis. CRA.

MOERICHVM diuitem nouerásne Diogenes? Illum inquam supra modum diuitem, illum Corintho profectum, cui tot erant naues onustæ mercibus, cuius consobrinus Aristeas, quum ipse quoque diues esset, Homericum illud in ore solebat habere,

Aut me confice tu, aut ego tete.

D. Cuius rei gratia sese captabant inuicem Crates? C. Hæreditatis caussa, quum essent æquales, vterque alterum captabãt. Iámque testamenta publicauerant ambo, in quibus Mœrichus (si prior moreretur) Aristeam omnium rerum suarum dominum relinquebat: Mœrichum viciſsim Aristeas, si quidem ipse prior è vita decederet. Hæc igitur cum essent in tabulis scripta, illi inter sese captabant, & alter alterum adulationibus, obsequiisque superare cõtendebat. Porrò diuini, haud scio vtrum ex astris, id quod futurũ sit coniectantes an somniis, quemadmodum Chaldæi faciunt, quin & Pythius ipse nũc Aristeam victorem fore pronunciabat, nunc Mœrichum, ac trutina qui-

dem interim ad hunc,interim ad illum propẽdebat. D.Quid igitur tandem euenit? nã audire eſt operæpretium Crates. C.Eodem die mortui ſunt ambo. Cæterum hæreditates ad Eunomium ac Traſyclem deuenerunt, quorũ vterque cognatus illis erat. Atqui de his nihil prædixerant diuini futurum, vt tale quippiam accideret. Etenim quum Sicyone Cirrham verſus nauigarent, medio in curſu obliquo orto iapyge, eò ſunt depulſi. D.Rectè factum. At nos cum eſſemus in vita, nihil eiuſmodi alter de altero cogitabamus,neque enim ego vnquam optabam vt moreretur Antiſthenes, quò nimirum baculus illius ad me rediret hæredem (habebat autem egregiè validum, quem ipſe ſibi parauerat oleaginum) neque tu Crates, opinor, deſyderabas, vt me mortuo, in poſſeſſionum mearum ſucceſſionem venires,puta dolii, ac peræ, in qua quidem lupini chœnices inerant duæ. C. Neque enim mihi quicquam iſtis rebus erat opus. Imò ne tibi quidem Diogenes: ſiquidem quæ ad rem pertinebant, quǽque tu Antiſtheni ſuccedens accepiſti, deinde ego ſuccedens tibi, ea nimirum multò ſunt potiora, multóque ſplendidiora quàm vel Perſarum imperium. D. Quænam ſunt iſta quæ dicis? C. Sapientiam inquam,frugalitatem,veritatem dicendi,

viuendíque libertatem. D.Per Iouem memini me in iſtiuſmodi opũ hæreditatẽ Antiſtheni ſucceſſiſſe, tibíque eas longè etiam maiores reliquiſſe. C.Verũ reliqui mortales hoc poſſeſſionum genus aſpernabantur, neque quiſquam nos ob ſpem potiundæ hæreditatis obſequiis captabat, ſed ad aurum omnes intendebant oculos. D.Nec iniuria:neque enim habebant, quo facultates eiuſmodi à nobis traditas acciperent, quippe rimoſi iam vitiatíque deliciis, non aliter quàm vaſa carie putria. Quo fit vt ſiquando quis in illos infundat vel ſapientiam, vel libertatem, vel veritatem, effluat illico, perſtillétque, fundo, quod immiſſum eſt, continere non valente. Cuiuſmodi quiddam & Danai filiabus aiunt accidere, dum in dolium pertuſum hauſtam aquam important. At iidem aurum dentibus & vnguibus omníque vi ſeruabant. C. Proinde nos hîc quoque noſtras poſſidebimus opes. Illi ſimulatque huc venerint, obolum duntaxat ſecum ferent, ac ne hunc quidẽ vlterius quàm ad por titorem.

Corinthus. CORINTHVS, vrbs fuit Achaiæ in faucibus Iſthmi ſita. Cõſobrini. CONSOBRINI propriè dicuntur duarum ſororum filii, ſicut patrueles duorum fratrum filii: qui verò ex ſorore & fratre progeniti ſunt, amitini vocantur.

AEquales. AEQVALES dicuntur qui eorundem ſunt annorũ. Terentius in Adelphis, Amicum noſtrum Simulum atque

æqualē. CHALDAEA, regio est Asiæ, Arabiæ contermina, in qua Babylon ciuitas magna fuit. Chaldæi primò ſyderum obſeruatione futura prædicere ſolebant, & poſtea vanitate eorum aucta artibus quibuſdam & maleficiis ſcire ſe omnia, & poſſe profitebātur PYTHIVS, vnum eſt ex cognomentis Apollinis: à Pythone ſerpente quem interfecit. TRVTINA idem eſt quod ſtatera. Inde trutino & trutinor deponēs. Perſius, Atq; exporrecto trutinantur verba labello. OPERAEPRETIVM, id eſt fructuoſum & vtile. Sic Iuuenalis, Eſt operæpretiū penit⁹ cognoſcere toto Quid faciāt agitēntq; die. SICYON fuit, Plinio teſte, Achaiæ oppidum. In Sicyone ſpectatiſſima quondam Occaſionis imago extitit authoris Lyſippi. CIRRHA, teſte Strabone in IX, Vrbs eſt vetuſta ſub Cirphin Parnaſſi rupem ad mare locata, è regione Sicyonis poſita, ab qua incipit ad Delphos aſcenſio: ibi eſt antrum Cirrheum Phœbi oraculo celeberrimum. IAPIX, ventus eſt occidentalis, quem Gellius caurum ſiue corum eſſe putat. LVPINVS, legumen eſt teſte Plinio, homini & quadrupedum generi vngulas habenti commune: & vt homini in cibo ſit, aqua maceratur: & circumagitur quotidie cum ſole, horáſque agricolis etiam nubilo demonſtrat. CHOENIX, eſt cibi diurni menſura, vnde Pythagoræ dictum eſt, Chœnici ne inſidias. quo admonemur, ne de victu in craſtinum ſimus ſolliciti. RIMOSI, id eſt pleni rimarum, omnia effutientes. hinc Parmeno Terentianus dixit de ſe, Plenus rimarum ſum. Sunt autem rimæ, hiatus anguſtiores & fiſſuræ in re quæ rumpi incipit. Inde rimari, inquirere. DANAVS, Beli Priſci filius ex pluribus coniugibus quinquaginta filias habuit: quæ cum quinquaginta filiis AEgypti fratris Danai nupſiſſent, eos omnes vna nocte interfecerunt præter Hypermeſtram, quæ Lino viro ſuo pepercit. ob quod nephas hac pœna fingūntur apud inferos damnatæ Danaides, vt aſſiduè

Chaldæa. Pythius. Trutina. Sicyon Cirrha. Iapix. Lupinus. Chœnix. Rimoſi. Danaus.

in vrnis fundo carentibus haurire aquam cogantur.

Portitor. PORTITOREM, id eſt Charontem. Portitor enim dicitur qui vehit homines de littore ad littus, vel de naui ad littus. Abuſiuè etiam qui portatur, portitor dicitur, ſicut vector, teſte Seruio.

Nirei, Menippi, & Therſitæ.

NIR.

ECCE denique vel Menippus hic iudex erit, vter noſtrum ſit formoſior. Dic Menippe, an non tibi videor forma præſtantior? M. Imò quinam ſitis, prius arbitror indicandum: nam hoc, opinor, ſcito eſt opus. N. Nireus ac Therſites. M. Vter Nireus, vter Therſites? nondum enim vel hoc ſatis liquet. T. Iam vnum hoc vinco, quòd tibi ſum ſimilis, neque tantopere me præcellis, quantopere te cæcus ille Homerus extulit, vnũ omnium formoſiſſimũ appellans. Quin ego faſtigiato vertice, raríſque & impexis capillis ille, nihilo te inferior viſus ſum arbitro. Iam verò tempus eſt vti pronunties Menippe, vtrum altero formoſiorem exiſtimes. N. Mirum ni me Aglaia Charopéque prognatum,

-qui vir pulcherrimus vnus,

Omnibus è Graiis Priameia ad Pergama veni.

M. Atqui non item ſub terram opinor, pulcherrimus veniſti, quippe qui reliquis quidem oſſibus aliis appareas aſſimilis: porrò caluaria hoc vno inſigni à Therſitæ caluaria dignôſci

possit, quòd tua delicata est ac mollicula: quandoquidem istuc habes effœminatum ac neutiquam viro decorum. N. Attamen Homerũ percontare qua specie tum fuerim quum inter Græcorum copias militarem. M. Tu quidem somnia mihi narras. At ego ea specto quæ video, quæque tibi adsunt in præsentia. Cæterùm ista norunt, qui id temporis viuebant. N. Quid igitur tãdẽ? ánnon ego formosior Menippe? M. Neque tu, neque quisquam alius formosus hoc loco. Siquidem apud inferos æqualitas est, paresque sunt omnes. T. Mihi quidem vel hoc sat est.

NIREVS erat omnium Græcorum qui ad Troiam nauigauerãt, speciosissimus, infra tamen Achillem, sed erat imbellis. THERSITES, teste Homero in 2. Iliados, fuit fœdissimus omnium qui ad Troiam nauigauerunt, altero oculo strabone, altero pede claudo, angustissimis humeris, & ad pectus vsque contractis, vertice acuminato, raro capillitio. OPVS EST SCITO, id est scire, participium præteriti temporis ablatiui casus eleganter pro infinitiuo iungitur his nominibus opus & vsus. HOMERVS fuit omnium Poetarum clarissimus, atque adeò pauper, vt luminibus ægritudine amissis, non esset illi vnde sumptus puero à quo duceretur, impenderet. Cuius patriæ fuerit, maximè dissensum est: vnde, teste Gellio, septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri, Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ: in Chio autem insula decessit & sepultus est, vt in Gellium notauit Iacobus Bononiensis homo impensè doctus. SOMNIVM est quod in somnis videre videmur, vnde pro-

Nireus. Thersités. Homerus. Chio. Somnium.

uerbialiter somnium & somnia, rem futilem, inanem, & nihili dicimus. Terentius in Adelph. De argento, somnium. ID TEMPORIS, id est eo tempore: venustissimè enim sic vtimur id temporis pro eo tẽpore. Gellius, Si libri copia fuisset id temporis. Cicero, Ad me venturos esse id temporis prædixeram.

Id tẽporis.

Diogenis & Mausoli. DIO.

HE tu Car, quare tandem insolens es, tibíque places, ac dignum te credis, qui vnus nobis omnibus anteponare? M. Primum regni nomine ô tu Siopensis, quippe qui Cariæ imperauerim vniuersæ, præterea Lydiæ quoque gentibus aliquot. Tum autem & insulas nonnullas subegerim, Miletum vsque peruenerim, plerisque Ioniæ partibus vastatis: Adhæc formosus eram ac procerus, ac bellicis in rebus præualidus. Postremo, quod est omnium maximum, in Halicarnasso monumentum erectum habeo singulari magnitudine, quantum videlicet defunctorum alius nemo possidet, neque pari etiam pulchritudine conditum, viris scilicet atque equis, pulcherrimo è saxo ad viuam formam absolutissimo artificio expressis, adeò vt vel fanum aliquot simile haud facile quis inueniat. Num iniuria tibi videor has ob res mihi placere atque efferri? D. Num ob imperium ais, ob formam, atque ob sepulchri molem? M. Per Iouem ob hæc inquam. D. At-

qui, ô formoſe Mauſole, neque vires iam illæ, neque forma tibi iam adeſt: adeò vt ſiquem arbitrium de formæ præcellẽtia delegerimus, haudquaquam dicere potis ſit, quamobrem tua caluaria meæ ſit anteferenda: ſiquidem vtraque pariter tũ calua, tum nuda, vtrique dentes pariter oſtendimus, pariter oculis orbati ſumus, pariter naribus ſimis ac ſurſum hiantibus deformati. Cæterum ſepulchrum, ac ſaxa illa pretioſa Halicarnaſſeis forſitan iactare licebit, & hoſpitibus gloriæ cauſſa oſtentare, tanquam qui magnificam quandam apud ſe ſtructuram habeant: verum quid hinc commoditatis ad te redeat vir egregie, nequaquam video: niſi forſan illud commodũ vocas quòd plus oneris atque nos ſuſtines, ſub tam ingentibus ſaxis preſſus ac laborans. M. Itáne nihil illa mihi conducunt omnia? planéque pares erunt Mauſolus ac Diogenes? D. Imò haud pares inquam, vir clariſſime. Nam Mauſolus diſcruciabitur quoties earum rerum in mentem veniet quibus in vita florere conſueuit: at Diogenes interim eum ridebit. Atque ille quidem de ſuo illo monumẽto quod eſt in Halicarnaſſo, memorabit, ab vxore Artemiſia, atque ſorore parato: contrà Diogenes ne id quidem ſuo de corpore nouit nunquid habeat ſepulchrum. neque enim illi res ea cu-

ræ eſt, verum apud viros excellentiſſimos ſui memoriam famámque reliquit, vt qui vitam peregerit viro dignam, tuo monumento, Carum abiectiſſime, celſiorem ac tutiore in loco ſubſtructam.

Caria. Car. CARIA, regio eſt minoris Aſiæ inter Lyciam & Ioniam: inde CAR Caros, aliquis de Caria. cuius fœmininum eſt Caiera teſte Raphaele Regio in 4. Metam. Ouidii. In Caria regnauit Mauſolus: quem vxor ita amaſſe dicitur, vt cineres eius cū odoribus mixtos biberit: Sepulchrum præterea ædificauerit tam egregiis operibus, vt inter ſeptem orbis miracula cōputetur, quod Mauſoleū nūcupatur. Sinope. SINOPE Sinopes, vrbs fuit Cappadociæ, & patria Diogenis, vt docet Pōponius. Ionia. IONIA, regio eſt in extremitate minoris Aſiæ, media inter Cariam & AEoliam, cuius regionis Miletus vrbs caput eſt. Halicarnaſſus. HALICARNASSVS, metropolis eſt Cariæ regionis, in qua nobile Mauſoleum extat. Quoties. QVOTIES & toties ſine n ſcribi Caper grammaticus præcipit. In mētem venit earū rerum. EARVM rerum in mentem venit: ſanè quàm elegāter dicitur, & ſubauditur recordatio, qualitas, ſtatus, memoria, aut aliquid ſimile, vt vult Valla. Cicero, Cum illius diei mihi in mentem venit. dicimus etiam, In mentem venit de illa re.

Simyli ac Polyſtrati. SIMY.

VENISTI tandem & tu Polyſtrate ad nos, quū annos vixeris haud multò pauciores centum, opinor. P. Nonagintaocto Simyle. S. Sed quinam triginta iſtos annos egiſti, quibus mihi fueras ſuperſtes? Nam ipſe perii, te fermè ſeptuagena-

rio. P.Quàm ſuauiſſimè profectò, etiam ſi hoc mirum tibi videbitur. S.Mirum verò, ſi quidem tibi primum ſeni, deinde inualido, poſtremò etiam orbo quicquam poterat eſſe in vita ſuaue. P.Principio nihil erat quod non poſſem: præterea pueri formoſi complures aderant: tum mulieres nitidiſſimæ, vnguēta, vinum mirè fragrans: poſtremo menſæ vel Siculis illis lautiores. S.Noua narras: nam ego te planè ſordidum ac parciſſimum eſſe ſciebam. P.Atqui, vir præclare, ex alienis arcis opes mihi ſubſcatebant: tum diluculo protinus quàplurimi mortales ad fores meas ventitabant: ſimúlque ex omni rerum genere quæ terrarum vbiuis pulcherrimæ reperiuntur, munera deportabantur. S.Num me defuncto regnum geſſiſti? P.Minimè, verum amantes habebam innumeros. S.Nō poſſum non ridere: túne amantes, tantus natu quum eſſes, víxque tibi dentes ſupereſſent quatuor? P. Habebam per Iouem equidem optimates ciuitatis. Quúmque eſſem tum ſenex, tum caluus, ſicuti vides, præterea lippiens etiam ac ſenio cæcutiens, poſtremo naribus mucoſis, tamē cupidiſſimè mihi inſeruiebant, adeò vt is fœlix videretur quemcunque vel aſpexiſſem modó. S.Num tu quoque, quemadmodum Phaon ille, Venerē aliquá è Chio tranſuexiſti,

vt ob id optanti tibi illa dederit rursum ad iuuentam redire, ac denuo formosum atque amabilem fieri? P. Haudquaquam: quin magis quum talis essem, qualem dixi, tamen supra modum adamabar. S. AEnigmata narras. P. Atqui notissimus est hic amor, quum vulgo sit frequens, nempe erga senes orbos ac diuites. S. Nunc tua forma vnde tibi profecta fuerit, intelligo vir egregie, nimirum ab aurea illa Venere. P. Veruntamen non parum multas commoditates ab amantibus tuli Simyle, propemodum etiam adoratus ab illis. Porrò sæpius etiam quasi procax illis illudebam, excludens interdum nonnullos eorum. Interim illi inter sese decertabant, & in ambiendis primis apud me partibus, alium alius anteire nitebatur. S. Sed age, de facultatibus tuis quid tandem statueras? P. Palàm quidem affirmabam, me vnumquenque illorum relicturum hæredem. Idque illi cum crederent futurum, certatim se quisque obsequentiorem atque adulantiorem præbebat. Cæterum alteras illas veras tabulas, quas apud me seruaueram, reliqui, in quibus omnes illos plorare iussi. S. At postremæ illæ tabulæ, quem pronuntiabant hæredem? num è cognatis quempiam? P. Nō per Iouem, imò nouitium quendā ex formosis illis adulescen-

tulis, natione Phrygem. S. Quot annos natum Polystrate? P. Viginti fermé. S. Iam intelligo quibus obsequiis ille te demeruerit.

P. Attamen multò illis dignior, qui scriberetur hæres, etiam si barbarus erat ac perditus: quem iam ipsi etiã optimates colunt captántque. Is igitur mihi extitit hæres: iámque inter patricios numeratur, subraso mento, barbaróque cultu ac lingua. Quin eum Codro generosiorẽ, Nireo formosiorem, Vlysse prudentiorem esse prædicant. S. Non laboro, vel totius Græciæ sit imperator, si libet, modo ne illi potiantur hæreditate.

SICVLA MENSA, prælauta atque opipara dicebatur. vnde Plato De republica libro tertio, Syracusanam amice mensam & Siculam in opsoniis varietatem non videris approbare, vt D. Erasmus cẽturia secundæ Chiliadis II. NATV, id est natiuitate & ætate. ablatiuus solus in vsu est, teste Seruio. MVCVS, est narium immundities: inde mucosus, muco plenus & obsitus. Sicula mẽsa. Natu. Mucus.

PHAON traiiciendis viatoribus de ripa in ripam victum sibi quæritauit. cũmque semel Venerẽ, nulla promissa mercede, transuexisset, ignorans quòd dea esset, ab ea alabastrum vnguento plenam, mercedis loco accepit: quo quum se perunxisset, formosissimus omnium mortalium apparuit: atque à Sappho poetria celeberrima adamatus, pòst tanquam mœchus interfectus est. Phaon.
CHIOS, insula est in mari AEgeo, Lesbo vicina, quæ paruo freto ab Asia diuiditur. PROCAX, id est proteruus & contumeliosus. Procari veteres petere dicebãt. vnde procax, impudens in petendo & lasciuus siue libi- Chios. Procax.

dinosus. & quia impudicæ mulieres ne verbis quidem turpibus & mordacibus abstinent, procacia contumelia dicitur, & procax contumeliosus & proteruus.

Phryx. PHRYX Phrygis, vir ex Phrygia. Est autē Phrygia regio minoris Asiæ, & in ea est Troia prouincia, cuius caput Ilium fuit, olim regia Priami. Fœmina vero dicitur Phrygia. Virgilius, O veræ Phrygiæ. DEMERVERIT, deuinxerit, & de te bene merēdo obligauerit. nam demereri est meritis obligare. Quintilianus, Vt pleniori obsequio demererer amantissimos mei. Nec capitur demereri pro malefacere, vt vulgus putat, sed commeremur mala, meremur bona, vt vult Donatus. PERDITVS dicitur qui in omne scelus est traditus, teste Valla. Nam per, in compositione aliquando capitur in malum. Iuuenalis satyra octaua,

Demereor.

Perditus.

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus vt dubitet Senecam præferre Neroni? INTER PATRICIOS. Patricii dicuntur progenies senatorum, qui patres vel ab ætate, vel à curæ similitudine appellabantur. Plebei autem patriciis opponebantur.

Patricii.

Codrus. CODRVS Atheniensium dux cum bellum esset cū Laconibus, extarétque oraculum illos posse vincere, quorum dux in bello caderet, sumpta humili veste iuxta hostilia castra iurgio hostes sic lacessiuit, vt incognitus necaretur. hæc Seruius. Vnde hostes cognito Codri corpore per annulum quem gestabat. sine prælio discesserūt. Hinc cum quempiam generosissimum significare volumus, dicimus, Codro generosior.

Veneris & Cupidinis. VE.

QVID tandem in causa est Cupido, vt quum reliquos deos omnes adortus expugnaris, Iouem ipsum, Neptunū, Apollinem, Iunonem, me denique matrem,

ab vna Minerua temperes, útque aduersus hãc nec vllum habeat incendium tua fax, & iaculis vacua sit pharetra, tum & ipse arcu careas, neque iaculari noris? C. Equidem hanc metuo mater: est enim formidabilis truculentóque aspectu, ac ferocitate quadã supra modum virili. Proinde siquando tenso arcu petam illam, galeæ cristam quatiens expauefacit, móxque formidine tremere occipio: sic vt arma mihi è manibus excidant. V. Atqui Mars an non erat hac formidabilior? & hunc tamen superatum exarmasti. C. Imò ille cupidè me recipit, atque vltrò etiam inuitat. Verùm Minerua semper adductis superciliis obseruat. Quin aliquando temerè ad illam aduolaui, facem propius admouẽs. At illa, Si quidem ad me accesseris, inquit, per parentem Iouem quouis modo te confecero, aut lancea te transfigam, aut pedibus arreptum in tartara dabo præcipitem, aut ipsa te discerpam. plurima item id genus comminabatur. Adhæc acribus obtuetur oculis. Postremò & in pectore faciẽ quandam gestat horrendam, viperis capillorum vice comatam. Hanc nimirum maximoperè formido. territat enim me: fugióque quoties eam aspicio. V. Esto sanè Mineruam metuis, vt ais, atque huius gestamen Gorgona reformidas, ídque cum Iouis ipsius fulmen non for-

midaueris: cæterum musæ quam ob caussam abs te non feriuntur, atque à tuis iaculis tutè agunt? Num & hæ cristas quatiũt, aut Gorgonas prætendunt? C. Has quidem reuereor mater: sunt enim vultu pudico ac reuerendo, præterea semper aliquo tenentur studio, semper cantionibus animum intentum gerunt. Quin ipse etiam non raro illis assisto, carminis suauitate delinitus. V. Esto, nec has adoriris, propterea quòd sint reuerendæ: at Dianam qua tandem gratia non vulneras? C. Vt breuiter dicam, hãc ne deprehendere quidem vsquam sum potis, quippe perpetuò per montes fugitantem. Adhæc, alterius cuiusdam sui cupidinis illa tenetur cupidine. V. Cuius ô gnate? C. Nempe venatu ceruorum, & hinnulorum, quos insectatur vt capiat, ac iaculo figat: ac prorsum tota rerum huiusmodi studio tenetur. tametsi fratrem eius, qui nimirum arcu valet & ipse, feritque eminus. V. Teneo gnate, eum sæpenumero sagitta vulnerasti.

Cupido. CVPIDO, Martis & Veneris fuit filius, quẽ delusi veteres ingentis potentiæ amoris esse deũ voluerunt. Pingebatur puer imberbis, cæcus, alatus, facẽ gestans & sagittas, quarum vna cuspide aurata vulneratos ad amorẽ, altera plumbea ad odium impellit: quorum omnium rationem pulcherrimis versibus Pius põtifex & Marullus ingeniosissimè cõplexi sunt. Iuppiter. IVPPITER, Iuno, Ne-

poema,ô poema,ab hoc poemate.

Pluraliter,

Hæc poemata, horum poematũ, his poematibus, hæc poemata,ô poemata,ab his poematibus.

De datiuo & ablatiuo plurali.

Datiuos & ablatiuos plurales nominum in a, faciũt etiam per is: vt,poematis,pro poematibus: ídque vſu receptum eſt.

E.

In e neutra ſunt omnia in hac declinatione.

Paradigma.

Singulariter,

Hoc cubile,huius cubilis, huic cubili, hoc cubile, ô cubile,ab hoc cubili.Ablatiuus i finit.

Pluraliter,

Hæc cubilia,horum cubilium, his cubilibus, hæc cubilia,ô cubilia,ab his cubilibus.

Hæc præſepes,hui9 præſepis,veteres dixere. nunc hoc præſepe dicimus,& in ſingulari ἄπτωτον eſſe ferè ſentiunt.

Pluraliter,

Præſepia. Et Gauſape in ſingulari aptotum eſt. Perſius pluraliter dixit gauſapa.

Cæpe,genere neutro, indeclinabiliter vulgo vtuntur. Vſitatius eſt bonis authoribus, hæc cæpa cæpæ:hæ cæpæ cæparum.Ouidius,

Cædenda eſt hortis eruta cæpa meis. Iuuenalis, Porrum & cæpe nefas morſu violare.

I

ἄπτωτα ſunt, vt gummi.Súntque ferè peregrina,

vt ſinápi.

In O.

Omnia genitiuum formant, nis adpoſita nominatiuis. Sed mutant o, quæ do aut go finiunt. Retinent ferè cætera tum maſculina tum fœminina.

Paradigma.

Singulariter,

Hic ardelio, huius ardelionis, huic ardelioni, hunc ardelionem, ô ardelio, ab hoc ardelione.

Genitiui longi ſunt, præter gentilia: Macedo Macedonis, breui penultima.

Pluraliter,

Hi ardeliones, horũ ardelionum, his ardelionibus, hos ardeliones, ô ardeliones, ab his ardelionib⁹.

Excipe

Homo hominis, nemo neminis.

Anio Anienis, Apollo Apollínis.

Paradigma in DO & GO.

Singulariter,

Hæc imago, huius imaginis, huic imagini, hanc imaginem, ô imago, ab hac imagine.

Pluraliter,

Hæ imagines, harum imaginum, his imaginibus, has imagines, ô imagines, ab his imaginibus.

Excipe caro, carnis.

Pondo neutrum eſt, indeclinabile ſingulari ac plurali numero. Falluntur enim qui ſingularibus accommodari poſſe negant. Nam & coronã pondo auri, & librã pondo Liuius dixit. Pondo propriè ſignificat aſſem, ſeu libram. vnde dupondius

eſt, id eſt duo aſſes. Eſt & pro pondere ſimpliciter vſurpatum, cum additum eſt vocabulum libra. Sic enim Liuius ait, Libra pondo auri, &c.

Propria in o fœminina, regulariter Latini declinant: vt, hæc Iuno, huius Iunonis.

Græca etiam in o, veteres ſic declinarunt: vt, hæc Sappho, hui9 Sapphonis. Verùm vſus obtinuit vt Græca declinatione flectantur Græca: Hæc ſappho, huius σαπφοῦς, huic σαπφῷ, hanc σαπφῶ, ô Sappho, ab hac Sappho.

C.

Duo tantũ ſunt nomina: hoc lac, & hoc halec.

Hoc lac, huius lactis, huic lacti, hoc lac, ab hoc lacte. Plautus & hoc lacte in nominatiuo dicit.

Plurale deſyderatur. Nam lactes plurale tantũ, ſignificat inteſtina, γαλακτίδας.

Hoc halec, huius halécis, huic haleci, hoc halec. Deſyderatur & hic plurale.

L.

In al, is adijciũt nominatiuo, habéntque longas penultimas.

Paradigma.

Hoc vectigal, huius vectigalis, huic vectigali, hoc vectigal, ô vectigal, ab hoc vectigali.

Pluraliter,

Hæc vectigalia, horum vectigalium, his vectigalibus.

Sal ſalis, priorem breuem habet. Catullus, In toto non eſt corpore mica ſalis. Sic & peregrina, Annibal, Annibalis.

EL.

In el duo ſunt, mel & fel.

Hoc mel, huius mellis, huic melli, hoc mel, ab hoc melle.

Sic hoc fel, huius fellis.

Pluraliter,

Hæc mella.

Genitiuus, datiuus, & ablatiuus deſyderantur.

Fel prorſus caret pluralibus omnibus caſibus.

De peregrinis nihil attinet præcipere. vſus fecit Daniel Danielis.

OL.

Hic ſol, huius ſolis.

VL.

Hic conſul, huius conſulis.

AM.

Nequam, ἄκλιτον eſt.

EM.

Tantũdem. inde genitiuus eſt ſolus, Tantidem. Totidem, plurale ἄκλιτον eſt.

AN

Græca ſunt omnia, & is nominatiuo adijciunt: hic pæan, huius pæanis, huic pæani, &c.

EN

Is adijciunt, & vocalem e in i mutant: vt

Singulariter,

Hoc numen, huius numinis, huic numini, hoc nũmen, ab hoc numine.

Pluraliter,

Hæc numina, &c.

E retinent

Ren renis, e longũ eſt. ſplen ſplenis, lien lienis.
Et Græca, ſyren ſyrenis, hymen hymenis.

IN

Is apponitur: ſúntque peregrina omnia, delphin delphinis.

ON.

Sunt & hæc peregrina. is adijciunt genitiui, & o longum eſt in primitiuis, vt Sinōnis. Breuê ferè in deriuatis: vt, canon cánonis, dæmon dǽmonis. Orionis aliàs corripiunt, aliàs producunt. Sunt quæ tis in genitiuis adijciũt: vt, Xenophon Xenophontis. Sed de his diligentius præcipient Græci.

AR.

Is adijciunt genitiui: vt torcular torcularis. Lõgæ ſunt penultimæ in neutris ſubſtantiuis. Reliqua breuia ſunt, vt lar lăris. Eſt & nectar breue. Far farris format, epar epatis. Eſt enim Græcum ἧπαρ ἥπατος: Latini iecur dicunt.

ER.

Is adijciunt in genitiuis: vt, Agger aggeris, carcer carceris.

Excipe

Adiectiua in cer, cris faciunt, alacer alacris, acer acris, volucer volucris.

Adiectiua in ber, bris faciunt, celeber celebris, ſaluber ſalubris.

Vber vberis, analogiã ſequitur & puber puberis.

Adiectiua in ſter, ſtris faciunt, paluſter paluſtris.

Imber cum ijs quæ ab eo fiunt, bris facit: imber imbris, ſeptember ſeptembris.

In ter, tris faciunt: vt, pater patris, mater matris, lynter lyntris.

Iter, ab antiquo itiner, itineris facit.

Mulier mulieris, penultima breui veteres pronũtiarunt: ſed in verſu cum nimis multæ breues alioquin concurrant, e longum fecerunt. Sequeſter ſequeſtris, tertia declinatione Cicero fecit: ſecunda Plautus, ſequeſtrum.

Græca in er, e producunt: χαρακτὴρ χαρακτῆρος, κρατὴρ κρατῆρος.

IR.

Is adijciunt genitiui: vt, Martyr martyris. Sunt autem peregrina in ir omnia.

OR.

Is addunt genitiui, o longa: color colôris.

Corripiũt genitiuos, arbor arboris, æquor æquoris, marmor marmoris, memor memoris.

Et Græca breuia ferè ſunt, rhetor rhetoris, Neſtor Neſtoris. Cor, cordis facit.

VR.

Is adijciunt genitiui: augur auguris, fulgur fulguris.

V mutant in o quædam: ebur eboris, femur femoris, robur roboris, iecur iecoris. iecinoris etiam dixere veteres.

AS.

In as, s abiecta, tis addunt genitiui: vt, bonitas bonitatis, penultima longa.

Excipe

Hic as aſſis, hoc vas vaſis, σκεῦος. hic vas vadis,

pro ſponſore. hic mas maris.

Fas, nefas, ἄκλιτα.

Græca variant. maſculina, per antis faciunt genitiuos: vt, Elephas elephantis, adamas adamãtis, gigas gigantis.

Fœminina, per adis: hæc Ilias Iliadis.

ES.

In es maſculina, es abiecta, per itis faciunt genitiuos, penultima breui: hic ceſpes ceſpitis, fomes fomitis, miles militis.

Hæc e retinent, & habent ſimiliter penultimas breues: hebes hebetis, indiges indigetis, interpres interpretis, præpes præpetis, perpes, perpetis, teres teretis, paries parietis, aries arietis. pes pedis, breue eſt.

Sequentia longas habent penultimas in genitiuis: hæres hæredis, præs prædis, vates vatis, verres verris.

Græca e producunt: lebes lebētis, magnes magnētis, Chremes, Chremētis.

Sic & locuples locuplētis.

In es fœminina, genitiuos faciũt, es in is tantum mutata: vt, hæc clades cladis, hæc fames famis.

Excipe

Hæc merces mercedis, hæc quies quietis.

Tametſi compoſitũ requies, quinto ordine declinent. Virgilius, Tempus inane peto, requiem, ſpatiúmque furori. Sed Cicero de Senectute, requietem etiam dixit.

Hæc ſeges ſegetis, hæc teges tegetis apud Var-

ronem in Re rustica: & Iuuenalem, Ausa palatino tegetem pręferre cubili. Significat rusticum & vile stragulum.

Ceres céreris, abies abíetis, breui penultima. Priscianus Apes nominatiuum facit: verum Ouidius apis dixit, Nō apis inde tulit collectos sedula flores.

Et hæc apis, huius apis Columella fecit.

IS.

Genitiui ferè sunt nominatiuis similes in omnibus quæ in is desinūt: hic collis, huius collis: hæc febris, huius febris.

Excipe gentilia,

Quiris quiritis, lōga penultima, samnis sānitis. sic dis ditis, glis gliris, cinis cineris, cucumis cucumeris, puluis pulueris. Nam hæc olim desinebant in r, vt vomer: Inde videntur hi genitiui reliqui esse, vomis vomeris, lapis lapidis, cuspis cuspidis, sanguis sanguinis.

Faciunt & genitiuū Pollinis à nominatiuo pollis, cum tamen ἀναλογία arguat nominatiuum esse pollen.

Græca mirè variant.

Masculina sicut lapis declinantur, Paris Paridis, Alexis Alexidis.

Fœminina regulam imitantur, hæc Genesis, huius genesis, si Latinè declines.

Declinatio Græca est petenda à Græcis, Thetis Thetidis, & quæ ys finiunt, Tethys Tethyos.

OS.

In os, genitiuos faciunt per oris: vt, mos moris,

flos floris, ros roris.

Excipe,

Dos dotis, cos cotis, nepos nepotis, ſacerdos ſacerdotis. penultimam producunt.

Compos compotis, breue eſt. cuſtos cuſtodis, bos bouis, os oſſis.

Græca à ſuis authoribus pete, ſunt enim varia. Heros herois, Minos minois, AEgoceros ægocerotis, Rhinoceros rhinocerotis. Martialis, Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

VS.

Maſculina in us ad declinationem ſecũdam pertinent: Verbalia ad quartam.

Fœminina & neutra ferè ſunt huius ordinis.

Fœminina u retinẽt, & genitiuos faciunt per utis: vt, iuuentus iuuentutis, virtus virtutis.

Excipe,

Palus paludis, incus incudis, tellus telluris, Venus veneris.

Neutra u mutant, & faciunt genitiuos per oris: vt corpus corporis, fœnus fœnoris.

Faciũt genitiuos per eris, quæ lus, nus, us finiunt: vt vellus velleris, vulnus vulneris, fœdus fœderis.

Excipe,

Pign⁹ pignoris, facinus facinoris, penus penoris.

Adde viſcus viſceris, pro extis: tametſi nominatiuo rarò vſi ſunt Latini. extat apud Lucretium.

Viſcus viſci, apud Horatium, *Glu.*

Acus aceris, latus lateris, opus operis, vlcus vlce-

ris, vetus veteris.
Pecus variat: pecudis fœminino caſu facit, neutro pecoris.
Comparatiua in us, per oris faciunt genitiuos: cādidius, candidioris.
Plus, pluris facit.

AVS.

Laus laudis, fraus fraudis.

X.

Monoſyllaba ferè per cis genitiuos faciunt: vt arx arcis, merx mercis, nux nucis, pix picis, dux ducis.
Paucula quædam per gis faciunt genitiuos: grex gregis, lex legis, rex regis, frux frugis, ſtryx ſtrygis.
Et Græca, σφίγξ σφιγγός, σύξ συγός.
Nox, noctis facit.

AX.

Per cis genitiuos faciunt: vt audax audacis.
Syphax Syphacis. Latina conſuetudine produxit Sidonius, Tolle tuum precor Annibalem, victúmque Syphacem.
Græca conſuetudine corripuit Iuuenalis, Compulimus durum Syphacem, fractúmque Metelle.
Nā Græca ferè corripiūtur, κόλακος, κόρακος, &c.

EX.

Icis genitiuos faciunt, breui penultima: vt Codex codicis, ſilex ſilicis.

Excipe,

Remex remigis, ſenex ſenis, ſuppellex ſupellecti-

lis.veruex veruēcis,longa.

Vibex vibīcis,longa penultima fecit Perſius,
Si puteal multa cautus vibice flagellas,
Nequicquam populo bibulas donaueris aures.
Reſpice quod non es.tollat ſua munera cerdo:
Tecū habita,& noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

IX.

Genitiuos faciunt per icis,breui penultima: vt hic calix calicis, hic varix varicis, hic fornix fornicis. Et hæc fœminina : vt hæc appendix appendicis,hæc larix laricis, ſalix ſalicis, coxendix coxendicis. Serenus, Sæpius occultus victa coxēdice morbus. Excipe longa

Fœminina,cornix cornicis,radix radicis,lodix lodicis,perdix perdicis.& hic ſandix ſandicis.

Propertius,Illáque plebeio vel ſi ſandicis amictu.

Hic ſpadix ſpadicis. foliū palmæ ſignificat,& colorem eius folij. Virgilius, Spadices,glaucíque, color deterrimus albis.

Et pernix pernicis,fœlix fœlicis.

Et verbalia:nutrix nutricis.

Græcorum eſt magna varietas,de quibus ipſorum grammaticos conſule,ὄνυξ ὄνυχος,breue.

Inde ſardonychē dixit Perſius,breui penultima.

Phœnix phœnicis,longa.iapix iapigis,breui.

Μάστιξ μάστιγος,breue.flagellum. Vnde Homeromaſtix,id eſt inſectator Homeri.Sic Zoilus vocabatur, quem in Olympijs de monte præcipitem deiecerunt Græci, propterea quòd Homero maledixerat.

Μαςίχη τῆς μαςίχης, gummi, quod vulgō maſtix̄ dicitur. Sed Plinius, & Dioſcorides, maſtiche nominatiuo caſu dixerunt, & habet penultimā breuem, nec pertinet ad hanc declinationem.

OX.

Genitiuos faciunt per ocis, penultima longa: vt ferox ferocis, hæc celox celocis, Var. Nautæ remiuagam mouent celocem.

Excipe,

Pręcox pręcŏcis, penultima breui: eſt enim à pręcoquo. Cappadox cappadŏcis, penultima breui. Perſius in mercatorem multos ſeruos vendentem,

Vēde animam lucro, mercare, atque excute ſolers
Omne latus mundi, ne ſit præſtantior alter,
Cappadocas rigida pingues pauiſſe cataſta.

T.

Caput capitis, occiput occipitis. Perſius, Occipiti cæco poſticæ occurrite ſannæ.

NX.

Lanx lancis, cōiunx coniugis. & Phocas nominatiuo ſcribit coniux, à iugo. Quincūx quincuncis, ſeptunx ſeptuncis, deunx deuncis.

Peregrina, ſyrinx ſyringis, phalanx phalangis.

NS.

Genitiuos faciunt per ntis, vt amans amantis, quadrans quadrantis, frons frontis.

Excipe,

Glans glandis, iuglans iuglandis, libripens libripendis, frons frondis.

LS

Puls,pultis.

RS.

In tis desinunt:sors sortis.

Excipe à cor composita,vecors vecordis,&c.

MS.

Hyems,hyemis.

BS. PS.

I interponunt,vt plebs plebis,auceps aucupis.

Excipe à caput facta,anceps ancipitis,& similia.

DATIVVS

In i desinit,vt poema poemati. Et in hunc modũ à genitiuo suo cadit:nec figura vlla hanc terminationem mutat.

ACCVSATIVVS

In em desinit, vt torquis torquem,sol solem. Sed quorundã accusatiui fiunt per im: hanc turrim, burim,securim & securem,puppim & puppem, sitim,restim & restim. Ad restim res redijt, dixit Terentius. hanc vim, peluim. tussim, apud Catullum.

Hanc Maguderim,apud Plautum.

Et propria,Tybrim,Ararim.

Nauẽ vsitate dici video. Virgilius AEneidos primo,Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achatę.Sic aliàs sæpe.Eadẽ voce accusatiuum ferè Liuius facit, & Terentius, Nauem ascendit. Nauim rarius est. apud Virgiliũ AEneid.1,Nauim in prospectu nullã, &c. Et Persius, Nauim si poscat sibi peronatus arator.

Clauem rectius dici iudico. Ouidius Fastorũ I. de Iano, Ille tenens baculũ dextra, clauémque sinistra. Febrẽ, & apud Plinium & apud Corneliũ Celsum reperio. Apud Horatium Sermonũ II, In gelida fixũ ripa, febrímque reducet. Et apud Gellium, libro 17. cap. 12, Febrim quartis diebus recurrentem.

Græcorũ mira varietas est: Pæan παιᾶνα. Genesis γένεσιν. Chremes χρέμητα. Chremem fecere Latini. Chlamys χλαμύδα. Paris, Paridem, Parin.

Mihi intempestiuum videtur & inutile admiscere Latinis Græcas declinationes, eásque malo ex Græcis authoribus peti.

Obiter hîc monendi sunt pueri, neutrorum similes esse tres casus, nominatiuũ, accusatiuum, & vocatiuum: vt hoc pectus.

VOCATIVVS

Similis est nominatiuo. Gręci ô Palla, à Pallante dicunt. Thebai, à Thebais.

ABLATIVVS.

Regulariter per e fit: vt pectus pectore, pestis peste, clauis claue, classis classe, torquis torque, rudis pro virga, rude. apud Horatium, Donatũ iam rude.

In plerisque fit per i tantum, videlicet in neutris in e, al, ar desinentibus: vt ab hoc mari, vectigali, calcari.

Ab hoc Prænestė, Virgilius.

Sale, & farre dicimus.

II. In adiectiuis in is & er, in hac declinatione:

ab hoc forti,humili,acri,ſalubri.
á Iuuenale,á Martiale.cum propria ſunt.

III. In his quorũ accuſatiui tantũ per im fiunt: vt ſitim,ab hac ſiti: tuſſim,ab hac tuſſi.á vi. Adde ſtrigili.Horatius,Mutat furtiua ſtrigili.

IIII. Menſium nomina,per i faciũt ablatiuos:ſeptembri,decembri.Iuuenalis ſatyra ſeptima,

Tunc par ingenio pretium,tunc vtile multis
Pallere,& vinum toto neſcire decembri.

Nã &(ab imbri)veteres dixiſſe, Priſcianus docet.
Sic Lucretius, Ex igni terráque animæ naſcuntur & imbri.
Recentiores(ab imbre)maluerũt dicere.Ouidius, Nauita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

Quædam ablatiuos per e,aut i faciunt,videlicet adiectiua omnis generis: vt par, ab hoc pare. ab hoc pari,vſitatius.

Vetus, á vetere vſitaté. Cicero Officiorum I,Vetere diſciplina.á veteri.
Duplex,á duplice,á duplici.Terent.Duplici ſpe.
Supplex á ſupplice,á ſupplici. Salluſt. Voce ſupplici.
Memor,á memore:vſitatius á memori.
Inops,ab inope,vſitaté.ab inopi.
Audax,ab audace,ab audaci.
Teres,á terete,á tereti.
Hebes,ab hebete,ab hebeti.
Locuples,á locuplete,á locupleti.
Vigil,á vigile,á vigili.
Sic tridens,anceps,concors,& cognata horum.

Item Arpinas,& ſimilia.

Hoſpes,ſoſpes,pauper,degener,vber,e tantum habent in ablatiuo.

II. Cōparatiua quoque bifariam faciūt ablatiuos,à maiore,à maiori.

III. Ad eundem modum & hæc ſubſtātiua in ís,faciunt ablatiuos:ab igne,ab igni.

Ab amne,Lucanus, Amne citato:ab amni,Virgilius,Prono rapit alueus amni.

Ab angue,ab angui.

Ab vngue vſitatè, ab vngui raro. à vecte vſitatè, à vecti apud vnum Terentium, Cum vecti, in Eunucho.à ciue vſitatè,à ciui rarius eſt. ab aui, à poſti,rariſſima ſunt.

IIII. Faciunt & bifariã ablatiuos ea,quorũ accuſatiui per em & im fiunt: à naue, à naui. Naui fracta,Terentius. à febre. Iuuenalis, Præterea lateris vigili cum febre dolòrem. à febri, à puppi,à puppe. à turri vſitatè, à turre rariſſimum eſt . Nã & turrẽ repudiauit cõſuetudo doctorum. Iuuen. -ſtantes Collina in turre mariti,

Nunc patimur longæ pacis mala:fortior armis
Luxuria incubuit,&c.

Adde ſupellex,ſupellectili & ſupellectile.

CASVS PLVRALIS NVMERI.

Nominatiuus,Accuſatiuus,Vocatiuus deſinunt in es:vt Ardeliones,colles.

Neutrorũ terminatio,vt aliàs etiã,a eſt:vt pectora

Sed hîc obſeruabunt pueri, in a exire ea, quorum ablatiui deſinebant in i tantum, vel in i & e:

vt mollia, vectigalia. Præter comparatiua, meliora, grauiora. Veteres tamẽ plura & pluria dixere.

Item vetera tantum dicitur, non veteria.

Vſus apluſtra & apluſtria fecit.

Obſeruabunt & antiquam diphthõgum in accuſatiuis nominum, quorum genitiui ſunt nominatiuo ſimiles. Item quorũ nominatiui deſinũt in duas cõſonantes: vt Acreis, omneis, ſalubreis, parteis, arteis, decembreis, & ſimilia.

Græci accuſatiui terminatio as eſt: vt, κρατῆρας magnos ſtatuunt, & vina coronant.

DE GENITIVO.

Terminatio eſt um vel ium. Sæpe autẽ mediocriter literatis, nonnihil negotij hæc varietas facit, dubitantibus vtra terminatione ſit vtendum. Proinde pueri diligenter hic adſuefaciendi ſunt, ad perdiſcendam huius caſus varietatem.

I. In ium deſinunt omnia, quorũ ablatiui finiunt i tantum, vel i & e: Ignium, vtilium, fœlicium, audacium, amnium, ancipitium, tricipitium. ſic reliqua à caput, ſapientium. Nonnunquam ſyncopa fit, ſapientûm, cæleſtûm apud Virgilium.

Parentum vſitatius eſt.

Excipe & comparatiua, maiorũ. Sed plus, plurium facit.

Et compoſita, artificum, opificum.

Item ſupplicum, vigilum, veterum, memorum.

II. Si nominatiui finiũt duabus conſonantibus,

genitiuis ium faciunt: pars partium, vrbium, falcium,glandiũ,trabium, merciũ,artiũ, cohortium.

Excipe,

Hyemum,principum,municipum,mãcipum,forcipum,inopum,cœlibum.

Vbi pares ſyllabę in nominatiuo ac genitiuo ſunt finiunt genitiui per ium:Collium, mẽſium,ædiũ, aurium,ſedium.Cicero & ſedum dixit pro Sextio. Adde litiũ,ditiũ, virium,ſalium, maniũ, penatiũ.

Excipe,

Vatum,iuuenum,canum,opum.

Apum,apud Columellam,& apium.

Adde As aſſium. Veteres enim hic aſſis dicebant.

Mas marium,Vas vadium.

Sic gẽtilia,Arpinas arpinatium,nox noctium,nix niuium,os oſſium,faux faucium,mus muriũ,apud Plinium reperio ſcriptum. caro carnium, cor cordium.

Cætera nomina faciũt plurali genitiuo um:vt Ciuitas ciuitatum,militum,furum,aggerum,&c.

Boum,ἀνώμαλον eſt. Alituum,pro alitum,epentheſi fecit Poeta.

DATIVVS ET ABLATIVVS

In bus deſinunt:vt ciuibus,militibus.

Bobus,ἀνώμαλον eſt.

QVARTA DECLINATIO

Continet duas terminationes,us & u,quæ neutrorum tantum eſt. Formam declinationis ex pa-

radigmate cognoſces.

Singulariter,

Hic fructus,huius fructus,huic fructui,hunc fructum,ô fructus,à fructu.

Veteres etiam fructuis dixerunt. Terentius, Eius anuis cauſa. Item, Nihil tumulti, nihil ornati, antiquè dictum eſt. Apud poetas huic fructu, κατ' ἀποκοπὴν inuenies.

Pluraliter,

Hi fructus,horũ fructuum,his fructibus,hos fructus,ô fructus,ab his fructibus.

Apud poetas inuenies pro curruum, currûm, κατ' συναίρεσιν.

In ubus deſinũt hæc, artubus,arcubus,portubus, acubus, lacubus , tribubus, verubus, ſpecubus, quercubus,ficubus.Sed in talibus,doctorũ conſuetudo obſeruanda eſt.

Singulariter,

Hoc cornu,eſt ἄπτωτον in ſingulari,huius cornu, huic cornu,hoc cornu,ô cornu,à cornu.

Pluraliter,

Hæc cornua,horum cornuum, his cornibus, hæc cornua,ô cornua,à cornibus.

QVINTA DECLINATIO.

Vnica terminatio eſt quinti ordinis,es:vt ſpecies, fides.

Singulariter,

Hæc ſpecies, huius ſpeciei,huic ſpeciei, hanc ſpeciem,ô ſpecies,à ſpecie.

E longa eſt in puris, id eſt vocalem ante i haben-

tibus:in alijs breuis,vt fidei.

Pluraliter,

Hæ ſpecies,harum ſpecierum.

Genitiuus datiuus & ablatiuus in paucis nominibus huius ordinis vſurpantur.

His ſpeciebus,has ſpecies,ô ſpecies,à ſpeciebus.

Olim ex tertio ordine quædã hoc modo declinabant: Plebes,plebei. Eſt id quoque obſeruandũ, genitiuum contrahi ſolere in hac declinatione, vt pro diei, dicatur diê, quod recte ſcribas diẽ antiqua diphthongo.vt apud Virgilium,

Libra diẽ ſomnique pares vbi fecerit horas.

De heteroclitis

HACTENVS analogiam propoſuimus, quam pueros animo cõplecti oportet, vt fingere ex propoſitis paradigmatis omnium vocũ caſus atque variationes poſſint. Eſt autem analogia,proportio, cũ ſimilia inter ſe conferũtur. Nomẽ factũ ab ἀναλέγομαι,quod ſignificat reputo,confero:quòd videlicet collatione ſimilitudo deprehendatur & adpareat. Supereſt, vt de anomalis dicamus. Sunt autẽ perpauca in quibus vſus Latine loquẽtium diſceſſit ab analogia. ὁμαλὸν Græcis æquale eſt. vnde anomala dixerũt ea,quæ non quadrarent ad regulam.

DE ANOMALIS IN NVMERIS.

MASCVLINA ſingularia tãtum hæc ferè re-

cēſentur:aer,æther,veſper,ſanguis,puluis,ſol.Verùm hic ſatius eſt vſum conſulere ac ſequi. Nam permulta alia ſunt, quæ vix pluraliter vſurpata ſunt. Et ex his quæ recēſuimus,aliquando pluralia faciunt:vt ſoles,& pro æſtu,& pro diebus.

FOEMININA SINGVLARIA TANTVM

Sunt ferè virtutum,vitiorum nomina:vt pax,eloquentia, amicitia, fides, gloria, & ſimilia. Vita, mors,ſoboles,humus. Et tamē quædam inuenias cum gratia pluraliter elata.vt apud Gellium,Adoleſcens flabat inanes glorias.

NEVTRA SINGVLARIA TANTVM.

Vulgus,pelagus,ſolū,ſenium, halec, iuſtitium, aurum,argentum,lutum,plumbū.& fructus,cordum, triticum: ſal, oleum, & pleraque vocabula rerum terra naſcentium.

MASCVLINA PLVRALIA TANTVM.

Antes,faſces,annales,faſti,cancelli, fori pro ſedilibus,cani,inferi,carceres pro ſeptis,ſuperi, caſſes,lares,proceres,penates,cælites,ſales ſalſa dicta

FOEMININA PLVRALIA TANTVM.

Ambages, excubiæ, nundinæ, ædes, ǽrumnæ, blanditiæ,bigæ,compedes,cunæ,dapes,deliciæ,diuitiæ,diræ,clitellæ, crates,feriæ, fores,grates, genę,exuuiæ,exequiæ,induciæ,inferiæ,inſidiæ, illecebræ,tenebræ,ſcopæ,ſordes,ſuppetiæ,tricæ, nu-

gæ, literæ pro epiſtola, minæ,opes, lactes, primitiæ,reliquiæ.

Calendæ à vocando dictæ ſunt:nam nouilunio conuocabatur plebs,& pronuntiabatur numerus dierũ qui ad Nonas ſupereſſent. Nam Nonis conueniebãt populares ex agris in vrbẽ. Græce καλῶ, eſt voco. Nonæ. Plutarchus dictas Nonas, quaſi neomenias putat. Tum enim prodit à coitu Luna,& clarè conſpicitur. Idus à diuidendo dicũtur. Nam in medium menſem incidunt. Iduare,diuidere veteribus ſignificabat.

NEVTRA PLVRALIA TANTVM.

Arma,caſtra, crepundia,cunabula, exta,ilia, iuſta,mœnia.
Et nomina feſtorum,vt Bacchanalia.

Et pluralis numerus in titulis frequenter vſurpatur,βουκολικὰ,γεωργικά.

Quædã etiam mutãt genus in plurali numero.

MASCVLINA, IN PLVRALI NEVTRA.

Auern⁹ auerna,balte⁹ baltea,carbaſus carbaſa.
Euentus quartæ declinationis in ſingulari vſitatius eſt. Ouidius, -careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Euentûs in plurali. Liuius, Nuſquam minus reſpondent euentus,quàm in bellis.

Euenta apud Ciceronem ſæpe reperias, pro rebus quæ accidêre, Cauſſæ euentorum magis mouent,quàm ipſa euenta.

Iuſſus iuſſa, locus loca & loci, iocus ioci frequẽtius, tartarus tartara.

FOEMININA, IN PLVRALI NEVTRA.

Intybus intyba, *cicoree*. Plinius hoc intybum dixit. Paſcuam ſubſtantiuè non dixerunt veteres: ſed paſcuum & paſcua pluraliter.

NEVTRA, IN PLVRALI MASCVLINA.

Cælum cæli, capiſtrum i & a, frænum i & a, raſtrum i & a, porrum i & a: Argos argi, Græcum.
Hoc ſpecus, hi ſpecus vſitatè iuxta Seruium.

FOEMININA IN PLVRALI.

Balneum, balneæ & balnea: epulum, epulæ.

DEFICIVNT CASIBVS.

Hæc ferè nominatiuo deficiunt,
Vicis, dapis, frugis, precis, opis: Compoſita habent: inops.
Vim vi.
Fors & forte dicuntur vſitatè.
Sponte ablatiuus tantum in vſu eſt.
Ab expes nullum inuenias obliquum.
Inficias accuſatiuo tantum dicitur.
Macte vocatiuo tantum dicunt. Virgilius, Macte noua virtute puer. Cicero aduerbialiter, Macte virtute eſto. Plinius, Macte ingenio dixit.
Tabi & tabo, pro ſanie, inuenias ſine reliquis caſibus.

Vas, pluraliter vaſa vaſorũ: nam veteres vaſum dixerunt.

Iugerum ſingulariter: in plurali in tertium ordinem degenerat, iugera, iugeribus. Inuenias in ſingulari & iugere.

Fas, nefas, ἄκλιτα.

Quædam nomina ſecũdo & quarto ordine declinantur. Sunt autem pleraque arborum: laurus, huius laurus & lauri: quercus, quercus & querci: cornus, cornus & corni: pinus, pinus & pini.

DOMVS.

Domus declinatur ſecũda & quarta declinatione: ſed non ſunt recepti pariter omnes caſus vtriuſque declinationis. Hæc domus, huius domus, pro ædificio: vt, Iſte partẽ domus demolitus eſt.

Domi locale eſt: vt Pater eſt domi.

Sic vſurpatur aduerbialiter. Interdum tamen & caſum addimus: vt Eſt domi tuæ.

Huic domui tantum. Nam in ſecunda declinatione caret datiuo: nõ enim dicimus, huic domo.

Hanc domum, ô domus.

Ab hac domo tantum. caret enim ablatiuo in quarta declinatione: quare non licet dicere ab hac domu. Pluraliter.

Hæ domus tantum, harũ domorum & domuũ, his domibus tantum, has domos & domus, ô domus tantum, ab his domibus tantum.

Ficus arbor, fœmininum tantum eſt, ſecundi & quarti ordinis.

Ficus fructus, maſculino & fœminino genere,

in vtraque declinatione vſurpatur. Aridæ fici, Macrobius. Et ficus virides, Suetonius in Auguſto. Eodem modo vtuntur pro morbo.

Eſt hîc annotanda Græca quædam conſuetudo ex caſibus nouas declinationes pariendi: vt ex genitiuo ἄβακος ab abax, fit abacus abaci: ex accuſatiuo κρατῆρα, fit cratera crateræ: ex κασσίδα, fit caſſida, caſſidæ.

Variant etiam Latini in quibuſdam Græcis nominibus declinandis, quæ deſinũt in es: vt λάχης λάχητος, Laches, & Lachis.

Quædam bifariam efferuntur: hic angiportus, & hoc angiportum, tonitrus & tonitru. Verùm hæc vſus docebit. Seſtertius & ſeſtertium ſignificatione differunt.

DE SPECIEBVS NOMINVM.

Hic mihi pauca de nominum ſpeciebus dicẽda ſunt, commonendorum puerorum cauſa.

Sunt enim alia poſſeſſiua, vt Euãdrius, quæ poſſeſſionem ſignificant. Alia denominatiua, vt Abiegnus, ficulnus, ferreus, quæ ſæpe materiam ſignificant. nonnunquam copiam, aut ſimilitudinem, aut formam ſignificant, vt vinoſus, moribundus, docilis. Alia diminutiua, corculum, paraſitaſter: quam formam putant imitationem ſignificare. Alia verbalia, vt lector, lectio, regimen, documentum. Alia patronymica, quæ gentem & originem ſignificant, vt Priamides, Thebais, Ilias, Nerine.

Sunt autẽ patronymica omnia Græca. ideo nos.

eorum formationem prætermittimus. Declinatio ex analogia petatur, donec Græcas declinationes licebit cognoscere.

Sunt & numeralia, quorum declinationem integram voluimus hîc adijcere, vt esset in promptu & in conspectu pueris.

Masculina, Vnus, vnius, vni, vnum. Fœminina, vna, vnius, vni, vnam. Neutra, vnum, vnius, vni, vnum. Sic & deriuata declinantur, Vllus, nullus, vter, neuter.

Masculina, Duo, duorũ, duobus, duos, duo antiquè.

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros. apud Virgilium.

Fœminina, duæ, duarum, duabus, duas.

Neutra, duo, duorum, duobus, duo.

Sic & Ambo declinatur.

Masculina & fœminina, Tres, trium, tribus, tres.

Neutra, tria, trium, tribus, tria.

Cætera ad centum vsque non declinantur.

Composita declinãtur, Ducenti ducẽtæ ducẽta. Mille adiectiuè non declinatur: substantiuè declinatur. Mille in singulari, omnibus casibus effertur. Pluraliter, Millia, millium, millibus, millia.

De pronomine.

PRONOMEN, eſt vox qua vtimur in demõſtranda, aut repetenda re, vbi nominis repetitio ingrata erat futura. Ouidius dixit, Gratiáque officio, quod mora tardat, abeſt. Si exẽpto pronomine ſupponas nomen, ſermo & obſcurus & inconditus erit, hoc modo, Gratia abeſt officio, cũ officium tardat mora. Et in demonſtrando: Nempe vt curentur rectè hæc.

Accidũt pronomini Species, ſignificatio, genus, numerus, figura, perſona, caſus.

Sunt autem pronomina hæc, Ego, tu, ſui, ille, iſte, ipſe, hic, is, quis, qui, meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, noſtras, veſtras.

SPECIES.

Primitiua ſunt, Ego, tu, ſui, ille, iſte, ipſe, hic, is, quis, qui. Reliqua ſunt deriuata. Nam à mei genitiuo, fit meus: à noſtrum fit noſter: tuus, à tui: veſter, à veſtri: ſuus, à ſui. Cuius cuia cuium, à genitiuo cuius.

SIGNIFICATIO.

Hæc verò in primis eſt tradẽda pueris. Nam nõ raró hic peccatur.

Sunt autem demonſtratiua, Ego, tu, hic, iſte. Relatiua, Is, ipſe, qui. Ille, aliàs demonſtratiuum eſt, aliàs relatiuum.

Sui verò & ſuus reciproca ſunt: hoc eſt ad ean-

dem personā redeūt,quæ præcedebat. Nā interest inter hæc, Pater iubet vt ad se venias: &,Pater iubet vt ad ipsum venias. Nā cum relatiuo IPSVM vtor,significo alium quēdam, non patrē. Bis vincit qui se vincit in victoria. aliud erit,si dicas, Bis vincit qui ipsum vincit in victoria. Item, Et sua riserunt secula Mæoniden.non ipsius secula. Valla diligenter & vtiliter præcepit de vsu harū particularum, quem pueri, vbi hæc prima elementa perdidicerint,consulant.

INTERROGATIVA,quis,cuius,cuia,cuium, cuias.

POSSESSIVA,meus,tuus,suus,noster,vester.

GENTILIA,nostras,vestras.

GENVS

Est in pronominibus perinde vt in adiectiuis nominum. Nam per tria genera vagantur pronomina.

NVMERVS.

Numerus item vt in Nominibus.

FIGVRAE.

Simplex,vt ego:Composita,vt egomet,idem.

Variè autem componuntur pronomina.

Primum inter se,vt Isthic.

Secūdo cum aduerbijs,eccum,eccam: pro ecce eū, ecce eam:ellum,ecce illum.

Idem,ab is & demum fit.

Tertio cum syllabicis adiectionib9,met,te,ce,pte.

Met,adijcitur omnibus casibus primæ & secundæ personæ,egomet,tutemet.

Te, adijcitur voci tu, & te: vt tute, tete.
Ce, pronomini hic: hicce, huiusce.
Pte, ablatiuis mea, tua, sua, nostra, vestra: vt meapte, suapte, &c. Sed in his compositionibus obseruẽt pueri cõsuetudinem emẽdatè loquentiũ.

PERSONAE

Tres, Prima, Ego: Secunda, Tu: Tertia, Iste.

CASVS

Iidem qui in Nomine. Verùm vocatiui non est vsus in omnibus pronominibus. Tu, meus, & noster admittunt vocatiuos. dicimus enim, mi Virgili, mea Glycerium.

Declinatio est ex Donato petenda, quem semper oportet pueris in manibus esse, vt inde analogiam in declinando ac coniugando discant.

DE ARTICVLO.

Obiter hic docendi sunt pueri, quid intersit inter pronomen & articulum. Est enim articulus nõ qui in Grãmatica tantum declinatione, casus aut genera indicat, sed quo in sermone etiam certam rem significamus. Latinum exemplum proponi nullum potest: nam Latinus sermo in vniuersum caret articulis. Galli habent articulos, quemadmodum & Græci. *ἄναρθρον* est, cum particula *ung* vtuntur, *Il y a ung homme.* articulatum est, *I'ay donné a l'homme l'argent*, *ἔδωκα τῷ ἀνδρὶ τὸ ἀργύριον*. Id Latinè non rectè vertas, Dedi huic viro hanc pecuniam. nam præsentem rem, non tantum certã, pronomina demonstrant. Ergo cum Latini vtuntur particula HIC in declinando, voluerunt mu-

tuari à pronomine notam caſuum & generum:nõ articulum tradere,quo in loquẽdo vteremur. Hæc cõmitto fidelibus præceptoribus,vt copioſius explicent. Nec prætereunda erant propter inſcitiam quorundam grammatiſtarum,qui contendunt articulum eſſe apud Latinos.

De verbo.

VERBVM,eſt vox ſignificãs agere aut pati:vt verberare,actio eſt:paſſio, verberari. Neutra quoque verba propemodum ſignificant paſſionem: vt algeo, frigeo,caleo. Pueri diligenter obſeruent diſcrimen nominis ac verbi. Nomen rerum nomenclaturam cõtinet. Verbum actionem & paſſionem,cum diſcriminibus temporum & perſonarum.

ACCIDENTIA.

Verbo accidũt octo:Genus,ſpecies,tempus,modus,figura,perſona,numerus,& coniugatio.

GENERA.

Genera,ſunt ſignificationes verborũ.Inde enim cognoſci poteſt,actio ſit in verbo,an paſſio.

Actiuũ deſinit in o,& actionem ſignificat. quod ita puer deprehẽdet:Si commodè accuſatiuus,qui perſonam ſignificat,verbo adijcietur,actiuum fuerit: vt Verbero Dauum. Non enim dixeris rectè, Caleo Dauum,Frigeo Phædriam.

Paſſiuum in or deſinit, & paſſionem ſignificat.

quod item deprehendet puer si ablatiuus personę rectè addi poterit: Verberor ab herò. non enim rectè dicas, Adsentior ab hero. Vocat igitur Priscianus ablatiuum, proprium passiuorum casum.

Neutrum in o desinit, & propemodum passionē significat. Verùm, casum passiuorum non admittit: vt caleo, sedeo. Nam significatio horum non transit in aliam personam: non enim rectè dicas, sedeo Iulium, vel sedeo à Iulio: sed colloco Iuliū, & collocor à Iulio.

Hîc obseruabunt pueri quædam neutra suæ significationis accusatiuos admittere: Aro agrum, decurro spatium, bibo vinum. Ab his verbis cum actiuam significationem penè induāt, fiunt tertiæ personę passiuæ. Aratur terra, bibitur vinum. nam aror, bibor, nemo dixit. Sūt hinc & participia passiua. Decurso spatio, apud Terentium.

Grammatici vocāt tria verba Neutralia passiua, quæ in o desinētia, prorsus significationem, & casum passiuorum habent. Fio, quod est passiuum ἀνώμαλον verbi Facio. Væneo à te, id est vēdor à te. Vapulo à te, id est verberor à te. Ineptè addiderunt Exulo. id enim nō significat relegari, sed solum vertisse, patria carere: ac prorsus significationem neutralem habet.

Commune genus verborū in or desinentiū, quæ promiscuè, aliàs actiuè, aliàs passiuè significant: vt Criminor Phormionem, criminor à Phormione. Discrimen significationis indicat constructio, seu casus personæ adiectus verbo. Nunc non ita

multa numeramus verba communia: Criminor, oſculor,adulor,conſolor,fruſtror,dignor,ſtipulor, depeculor. Cicero, interpretor & teſtor, paſſiua ſignificatione vſus eſt. Et Terentius, Meditata ſunt mihi omnia:paſſiuè. Et ementitum,paſſiua ſignificatione plurimi dixere. Venerata ſacerdos, apud Virgilium extat. Item,Experta virtus, alicubi inuenias. Nam vetuſtiſſimi Latinorum plura aliquãto verba in vtraque ſignificatione vſurparunt, quàm poſtea in vſu fuere. Nam durum fuerit, ſi dicas,Pecunia largitur, pro diſtribuitur: aut,à me auxiliatus eſt. Proinde obſeruent hoc in loco pueri,quid probarint aut receperint illi qui emendatè locuti ſunt.

Deponentia dicuntur,quæ cum in or deſinant, tamen alteram ſignificationem deponunt: & aut actiuè ſignificant,vt precor Deum,patior iniuriã, moror te,ſequor te: Aut neutraliter,vt vaticinor, labor. Significant neutraliter etiam meo iudicio, naſcor,orior.

Habes generum, ſeu ſignificationum in verbis formulas. Sunt autem hic etiam admonendi pueri,pauca quædam verba efferri per o & or, eadem ſignificatione.

Adſentio adſentior,adſenſi adſenſus ſum.
Impertio impertior,impertiui impertitus ſum.
Comperio comperior, comperi compertus ſum, actiua ſignificatione non dixerunt Latini.
Ita iurgo & iurgor:ſed poſterius vſitatius eſt.
Et Munero apud Macrobiũ, Muneror apud Te-

rentium. Et fabricor vſitatè. apud poetas alicubi fabrico inuenias. Sic & populo pro populor, & ſtabulo pro ſtabulor, luxurio pro luxurior, prȩuertor pro præuerto, punior pro punio apud Ciceronē. Pleraque alia Nonius recenſet, variè à vetuſtiſſimis Latinorum vſurpata, in quibus vſus poſtea repudiauit alterā terminationem. Hæc verò etiā ſignificatione differunt, Mutuo à mutuor, fœnero à fœneror, mereo à mereor, liceo à liceor: de quorum natura in Syntaxi dicemus.

SPECIES SEV FORMAE.

Inchoatiua, cum verbo adijcitur terminatio ſco: vt à luceo, fit luceſco. De ſignificatione Valla videtur præter rem cum Priſciano rixari. Nam aut inchoationem ſignificant, vt Luceſcit, *Le iour commence a poindre*: aut certè gliſcere & intendi, vt apud Virgilium, Expleri mentem nequit, ardeſcítque tuendo.

Fiunt ferè à ſecūda perſona, Labas labaſco. Pleraque vſurpātur pro thematibus, vt hiſco, fatiſco. vnde defetiſcor, quod eſt defatigor.

Ad tertiam coniugationē pertinent, & mutuantur præterita & ſupina à thematis: vt tumeſco tumui. Quædam à nominibus cadunt, in quibus obſeruandus eſt vſus ſcriptorum: à ſeneſco ſenui, à repueraſco nullum extat præteritum.

Frequentatiua, to, aut ſo, aut xo addunt themati: vt, agito, pulſo, viſo, quaſſo, adfecto, nexo. quæ vel aſſiduitatem, vel conatum ſignificāt. Sic enim exponunt: Viſo, eo ad videndum: Capeſſo, eo ad

capiendum. Fiunt à ſupinis, vt tractu tracto, citu cito, cœnatu cœnito. Aut à ſecundis perſonis, vt arceſſo, ab ad & cies, vnde κατὰ μεθεῖναι fit accerſo

Pleraque primam coniugationem imitantur, vt Pulſo, affecto: ſed pauca quædam tertiã, vt Faceſſo, laceſſo, quod eſt à priſco verbo lacio, quod ſignificat traho. Sunt & in voce paſſiua, vt Sector, ſcitor, ſciſcitor. Huc pertinent etiam Vellico, fodico, & ſimilia.

Meditatiua, ſeu deſyderatiua in rio. ſtudiũ enim & voluntatem ſignificant: vt Parturio, cœnaturio, cacaturio. ad coniugationem quartam pertinent.

Diminutiua in lo, vt ſorbillo. Eſt Græca quædam forma, & quæ imitationem ſignificat: vt Patriſſo, atticiſſo, quæ Græcis ζω deſinunt: vt, πλατωνίζω. Latini non admodum ſunt hac delectati terminatione: vnde dixerũt pro Græciſſo, græcor. Ita Cornicor à cornice, à vulpe vulpinor, à Baccho bacchor. Porrò nec in reliquis formis licet nobis temere noua parere: ſed vſu valent vocabula, ſicut numi. Neque enim ex Amatu amito, ex Doctu docto licet fingere. ſed hæc monebunt præceptores. Erant autem hæ formæ in verbis indicandæ, vt & propagationem verborum obſeruarent pueri, & diſcrimina ſignificationum, ſiquando ab vno themate plura verba cadunt: vt, eſito & eſurio ab edo.

TEMPORA.

Hæc verò eſt propria verborum natura, indicare diſcrimina temporum. Sunt autem quinque, &

communi ſenſu dijudicari poſſunt:
Præſens, *ie uiens.*
Præteritum imperfectum, *ie uenoye.*
Præteritum perfectum, *ie ſuis uenu.*
Præteritum plus quàm perfectum, *i'eſtoye uenu.*
Futurum, *ie uiendray.*

MODI

Variam voluntatẽ in actione tradũt. Sunt autẽ, Indicatiuus, qui ſimpliciter fieri aliquid, aut non fieri definit. Ideóque Græci ὁριστικὸν, id eſt definitiuum vocauerunt: vt Probitas laudatur, & alget.

Imperatiuus, quo in imperando vtimur: vt Noſce teipſum.

Optatiuus, quo optamus, non definimus quid fiat. adeóque degenerat ab indicatiuo, vt ad abſoluendam ſententiam ferè adſciſcat aduerbiũ optãdi: Vtinam pueri obtemperent præceptoribus. Vtinam obtemperent CHRISTO promittenti huic ætati regnum cælorum. Apud Terẽtium, Vt illũ dij deǽque omnes perdant.

Subiunctiuus ita vocatur, quòd niſi ſubijciatur alteri orationi, per ſeſe non abſoluit ſententiam: Ita demum florebunt vrbes, ſi pueros honeſtis diſciplinis ad virtutem adſuefecerint.

Infinitiuus additur alijs modis, vnde mutuetur perſonam & numerum: vt, Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.

Ad modos commodè videntur referri poſſe ſupina, & gerundia: de quorum vſu ac ſignificatione in Syntaxi præcipiemus. Gerũdia dicta ſunt, quòd

gerere & administrare aliquid significent, Surgit ad dicendum.

Supinis videtur nomen inde factum, quòd ante se casum non habent.

FIGVRAE DVAE.

Simplex, vt Lego: Composita, vt intelligo. Decomposita vocant ex compositis nata: vt perterrefacio. Hîc pueri mutationes literarum & crases obseruent, vt afficio, ex ad & facio: cogo, quasi coago: cōcutio, à quatio: succusso, à quasso: & redeo, d interposita, pro reeo: porrigo, à porrò & rego: portendo, à porrò & tendo. De tali mutatione literarum, & in Præpositionibus, & in Verbis præcipitur in Orthographia.

Sunt admonendi pueri, quòd quorundã compositorum themata non extant: Fendo, vnde defendo, offendo. Specio, vnde aspicio, &c. Perior, vnde experior. Pedio, vnde expedio, impedio. Leo, id est lino, vnde deleo. Videntur & à Græcis quædam nata, vt Suffragor, à φράζομαι, id est delibero: & Impleo à πλῶ. Percello à κέλλω, moueo, impello.

Quædã ex nominibus nascuntur, vt Pernocto, architector, philosophor. nam & multa simplicia à nominibus oriuntur, vt vesperascit. Quanquam autem cōposita imitentur cōiugationē simpliciũ, vt facio feci, conficio confeci: tamen degenerãt aliquãdo verba: vt, à spernere, fit aspernari. & à dare in tertiã coniugationē migrãt cōposita. A sternere consternare. à specio suspicari, à facio gratificari: à verto, reuertor & diuertor fiunt deponentia.

PERSONAE.

Perſonas ſenſus communis diſcernit. Sunt autē tres. Prima, Ego lego. Secunda, Tu legis. Tertia, Ille legit. Sunt autem duplicia verba: alia perſonalia, quæ iuxta perſonas variantur: alia imperſonalia, quæ vnam vocem incertæ perſonæ habent: vt, legitur, oportet. de quibus infrà dicemus.

NVMERI.

Singularis, vt lego: Pluralis, vt legimus.

CONIVGATIONES

Quatuor ſunt. Primæ character eſt a longa in infinitiuo: vt beāre. Secundæ, e longa: vt docēre. Tertiæ, e breuis: vt condĕre. Quartæ, i longa: vt cō dīre. Eſt autem analogia in coniugatione facilis, & quæ nullo negotio ex Donato cognoſci poſſit. In præteritis & ſupinis eſt varietas, quæ diligēter eſt pueris perdiſcenda. Niſi enim coniugationem tanquam digitos, vnguéſque ſuos norint exactiſſimè, non rarò in medio ſermone reſiſtent & obmuteſcent, cum commutare, pro ſententiarum varietate, verborum caſus non poterunt. Quædam verba veteres variè coniugauerunt: vt, ſtrido ſtridis, & ſtrideo ſtrides. Potior, iris, potītur in quarta i longa, & potĭtur in tertia i breui. hinc potiri dicimus & orior oriris, quarti ordinis. ſunt reliqui caſus ferè tertij: non enim dicimus orītur i longa. Sic & vetuſtiſſimi morior variè coniugarunt, nūc tertio tantum ordine flectitur.

Porrò præteriti indicatiui caſum imitātur præterita in alijs modis, futurum etiam coniunctiui.

Iam & hoc monendi ſunt pueri, quòd ſi præterita ſimplicium geminent primam ſyllabam, in compoſitis id non obſeruatur: vt cædo cecīdi, occido occīdi. Verum hæc in compoſitis etiam geminant primam ſyllabam: Do, circūdedi: ſto, reſtiti: diſco, dedidici: poſco, depopoſci: pungo, repupugi. à curro non geminata reperio.

DE PRAETERITO PRIMAE CONIVGATIONIS.

Aui, character eſt præteriti primæ coniugationis, vt Amo amaui.

Excipe

Do dedi, ſto ſteti, iuuo iuui, lauo laui. nam veteres coniugarunt etiam lauo lauis lauere, tertio ordine. cubo cubui, crepo crepui, domo domui, frico fricui, ſeco ſecui, ſono ſonui, tono tonui, veto vetui, plico plicui: ſed Applicaui dixit Cicero. Mico micui: ſed compoſita, dimicaui, emicui.

A Do primi ordinis ſunt Circundo, peſſundo, vænundo: cætera tertij.

A Cubo, cum m adſciſcūt, fiunt tertij ordinis: vt accumbere, &c.

DE SVPINO.

Atum, character eſt ſupinorum: vt amatum. fit enim à præteriti terminatione, aui.

Quæ non faciunt præteritum per aui, ſic faciūt ſupina: Datū breui a, ſtatum breui a. Iutum. Lautum & lotum veteri conſuetudine, ſicut ploſtrum & plauſtrū. cubitum, crepitum, domitum, frictū, ſectum, ſonitum, tonitum. Mico caret ſupino: ſed

dimicatum dicimus in compoſito. Vetitum.

Plicatum,& in cõpoſitis plicitum, vt Implicitũ.

A neco, necatum in ſimplici: enectum in compoſito inuenias.

A regula variat & potum pro potatum. Quidã pro potaui,& Potus ſum in præterito faciũt à poto: ſed Potus ſum, meo iudicio, ſimpliciter paſſiuũ eſt vt apud Ouidium,

Occurrit nuper, viſa eſt mihi digna relatu
Pompa, ſenem potum pota trahebat anus.

Potaui actiuum eſt. tametſi veteres abſolutè etiã pro bibi dixerunt potaui. Extant exempla apud Plautum.

Paſſiua & Deponentia mutuantur præterita à participijs, quæ fiunt ex ſupinis, in quibus eſt ſequenda analogia: vt Medicor medicatus ſum, miror miratus ſum.

Formula coniugandi extat apud Donatum.

DE SECVNDA CONIVGATIONE.

In ſecunda coniugatione præterita ferè per ui duas ſyllabas fiunt, vt doceo docui. Supina fiunt regulariter per itum à terminatione ui, vt habui habitum. Excipe doctum, tentum à tenui, cenſum à cenſui, caſſum à carui.

Carent autem ſupinis neutra pleraque. Nos, vt exceptiones facilius venari poſſint pueri, per omnes terminationes vagabimur.

BEO.

Iubeo iuſſi iuſſum. Nam in ſi prĕterita, ſum ferè

faciunt ſupinis. Sorbeo, ſorbui vel ſorpſi. Cicero, Sanguinem ciuilem exorbuit. Sorptum in ſupinis compoſitis.

CEO.

Luceo luxi, ſine ſupino. polluceo polluxi, mulceo mulſi mulſum. Gellius permulcti fecit, lib. 1, cap. 15.

DEO.

Ardeo arſi, ſine ſupinis. rideo riſi riſum, ſuadeo ſuaſi ſuaſum, video vidi viſum, ſedeo ſedi ſeſſum, ſtrideo ſtridi, ſine ſupinis. pendeo pepēdi, ſine ſupinis. ſpondeo ſpopondi, reſpondeo reſpondi, tondeo totondi, detondeo detondi, mordeo momordi, Prandeo prandi & pranſus ſum. Nam duplici figura his vſi ſunt Latini. Sic & cœnaui & cœnatus ſum, à cœno: & ſignificant actiuè vtraque.

Audeo auſus ſum, gaudeo gauiſus ſum. Hæc prorſus mutuantur præterita à voce paſſiua.

GEO.

Si l ante g præcedat, ſi faciunt: vt, algeo alſi, ſine ſupinis. indulgeo indulſi indultum, fulgeo fulſi. Perſius, Si ſpes refulſerit nummi.

Mulgeo mulſi apud Virgilium in Georg. Quod ſurgente die mulſere, horíſque diurnis.
Supinum mulctum eſt, quod videtur à mulxi cadere. verùm ea vox caret authore. Mulcta, à ſupino huius verbi naſci videtur.

Turgeo turſi, ſine ſupinis. Vrgeo vrſi, ſine ſupinis.

Hæc xi habent.

Augeo auxi auctum, frigeo frixi & frigui, refrigeſco refrixi, lugeo luxi luctum. Sugo & tergo ad tertiam coniugationem refero, tametſi veteres ſecunda etiam declinauerint.

LEO.

Fleo fleui fletum. A leo leui, vt deleo deleui deletum. A pleo pleui, vt impleo impleui impletũ. Oleo olui. Horatius, Vina ferè dulces oluerũt mane camœnæ. κατ' ἀναλογίαν facit ſupinum olitũ: ſed authore caret. Oletum, nomẽ extat apud Perſium, pro ſtercore: quod certe ex ſupino oletum videtur natum. Compoſita variant. Adoleui, apud Virgilium adultum.

Obſoleui, apud Ciceronem, obſoletum. Cicero, Vulgaria & obſoleta. Aboleui, apud Liuium, abolitum: & aboletum apud Ciceronem. Exoleui, apud Plinium exoletũ. Inoleui inolitũ. Obolui, apud Suetonium obolitum. Redolui, ſubolui. Soleo ſolitus ſum, ἀνώμαλον.

NEO.

Neo neui netum, maneo manſi manſum. Contrà, imminui & eminui faciunt grammatici.

QVEO.

Torqueo torſi tortũ. Liqueo regulare eſt, licui. Ouidius, Delicuit.

REO.

Hæreo hæſi hæſum, mereo pro milito, regulare merui, & ſupinis meritum. mœreo prima longa, mœſtus ſum, ἀνώμαλον.

VEO.

Caueo caui cautū,foueo foui fotum,voueo vo-ui votum, moueo moui motum, paueo paui, ſine ſupinis.ferueo ferbui,& ferui à feruo.langueo re-gulare eſt langui,tribus ſyllabis.ſic pingueſco.cō-niueo connixi, vieo vieui,flecto: vietū penultima breui fecit Horati9,Qui ſudor vietis,& quàm ma-lus vndique mēbris Creſcit odor. Cieo ciui,vt & cio cis cire.Nam & ſecūdo & quarto ordine vſi ſunt Latini. Sed à cio, fit breue ſupinū citum: vt,

Excitat auditor ſtudium,laudatáque virtus
Creſcit,& immenſum gloria calcar habet.

Paſſiua præterita fiunt à ſupinis:vt doctus ſum, tortus ſum. Verùm quæ ſupinis carent,ijs deſunt præterita paſſiua: vt verbi Vrgeor, nullū eſt præ-teritum. ſic & verbi Medeor, niſi à Medicor mu-tuemur.

Miſereor facit miſertus ſum,Mereor,merui & meritus ſum,reor rat9 ſum, fateor faſſus ſum, cō-fiteor confeſſus ſum, tueor tuitus ſum.tuor & tu-tus pro participio videntur antiquata. Formula coniugationis eſt ex Donato petenda.

DE TERTIA CONIVGATIONE.

In tertia coniugatione non eſt vnus aliquis cha racter præteritorū, vt in ſuperioribus ordinibus: ſed ſingulæ terminationes ſuos quoſdā characte-res,ſuas formulas, eáſque varias habent. Proinde ordine omnes terminationes proponemus.

BO.

Cum lōga vocalis poſtremam ſyllabam anteit,

præteritis fit psi: vt nubo nupsi, scribo scripsi. Supina fiunt in ptum: vt nuptum, scriptum. Cætera bi faciunt: vt bibo bibi, scabo scabi. Composita à cubo imitantur præteritum simplicis, vt incumbo incubui. Suprà monuimus in tertia coniugatione, cõposita huius verbi, m, adsciscere. Tum, supinis fit, vt Lambitum.

CO.

Hæc in ci præteritum faciunt: sed varié. Variant & supina: vinco vici victũ, parco peperci & parsi parsum, posco poposci, sine supino. disco didici, sine supino. ico ici ictum.

Hæc in ui syllabam desinunt: Pasco paui pastũ, cresco creui cretum, quo tamen in simplici nõ vtuntur. Quiesco quieui quietũ, consuesco cõsueui cõsuetum, nosco noui notum, agnosco agnoui agnitum, penultima breui. cognosco cognoui cognitum, penultima breui. ignosco ignoui ignotũ, penultima longa. retinet enim literam simplicis. Scisco sciui scitum. mutuatur præteritũ à themate, sicut alia inchoatiua, Senesco senui: nam fingendum est thema seneo. Glisco caret præterito & supino. Conquinisco vetus & exoletum verbum, facit cõquexi: & significat caput inclinare. Dico dixi dictum. Duco duxi ductum. Compesco compescui, duabus syllabis.

DO.

Si longa vocalis præcedit, præteritum fit per si. nam & di & si in sum mutantur in supinis. Rado rasi rasum. Ludo lusi lusum. Cudo cudi cusum.

Rudo rudi facit, ſine ſupino. Diuido diuiſi diuiſum. Fido fiſus ſum.

Cætera di finiunt.

Pando pãdi paſſum, ſcando ſcandi ſcanſum, aſcendo aſcendi aſcẽſum. ſic cætera cõpoſita. Mando mandi manſum. Strido ſtridi, ſine ſupino. Prehendo prehendi prehẽſum. Defendo defendi defenſum. Offendo offendi offenſum. Tendo tetendi tentum & tenſum. Oſtẽdo oſtendi oſtẽtum & oſtenſum: ſed poſterius vſitatius eſt. Accendo accendi accenſum. Tundo tutudi tunſum & tuſum. Contundo contudi contuſum. ſic cætera compoſita. Pendo pependi penſum. Suſpendo ſuſpendi ſuſpenſum. Fundo fudi fuſum. Findo fidi fiſſum. Scindo ſcidi ſciſſum. Edo edi eſum: comedo comedi comeſum & comeſtum. ſic cõpoſita à themate variant. Pedo pepedi, ſine ſupino.

A Sido, Priſcianus nullum dicit extare præteritũ.

A do compoſita, geminant primam ſyllabam prę-teriti.

Condo condidi conditum, reddo reddidi redditum. Sed abſcondo abſcondi abſconditum. nam in ſecunda Philippica Ciceronis eſt, Abſconditi. Fecerunt & abſconſum. ego id non memini me legere.

Cedo ſine diphthongo, ceſſi ceſſum.

Cado cecĭdi media breui, caſum: vnde vnum tantum compoſitum extat, occaſus. Cætera à cado, ſupina aut verbalia non faciunt.

Cædo cum diphthongo, cecīdi media longa, cæ-

ſum. ſic occīdo occīdi occīſum.

GO.

Pleriſque omnibus prę̨terita fiunt per xi: cingo cinxi cinctum. nam xi in ctum mutatur. Rego rexi rectum. Pingo pinxi pictū, n abijcit. Fingo finxi fictum, n abijcit. Tingo tinxi tinctum. Figo fixi fixum.

In his, gi præteriti character eſt.

Ago egi actum. ſic & cōpoſita, cogo coegi coactum. Frango fregi fractum, effringo effregi effractum. Lego legi lectum, colligo collegi collectū, eligo elegi electum. Sed tria à lego compoſita, xi habent, Negligo neglexi neglectum, intelligo intellexi intellectum, diligo dilexi dilectum.

Tango tetigi tactum.

Pungo pupugi & punxi punctum, expungo expunxi tantum, expunctum.

Pango pepigi & panxi pactū: eſt idem quod figo. natum à Græco verbo πηγνύω videtur, vnde & clauum pāgere Liuius dixit: & Columella, malleolos pangere: & depactam quercum, Plinius.

Impingo impegi: ſcribit enim Priſcianus à pango etiam pegi præteritum fuiſſe.

Quæ habent r ante go, faciunt per ſi præteritum: mergo merſi merſum, ſpargo ſparſi ſparſum.

Sed à rego compoſita, imitantur thema.

Surgo ſurrexi, pergo perrexi.

HO.

Xi, præteriti character eſt, ctum ſupini. Veho vexi vectum. Traho traxi tractum.

LO

Mutatur in lui in præteritis. Supina tum, ἀναλογικῶς. Colo colui cultũ, conſulo cõſului cõſultum, occulo occului occultum, molo molui molitũ, alo alui alitũ, & altum: volo volui, ſine ſupino.

Quæ geminant l, nonnihil variant.

Vello velli & vulſi. Lucanus, Auulſítque manu, telúmque adfixit arenæ. Supina vulſum. Fallo fefelli falſum. Pello pepuli pulſum, depello depuli depulſum. Percello perculi, & apud Terẽtium in And. perculſi, Perculſit ilico animũ. Supinum eſt perculſum. Excello excellui excelſum, authore Priſciano. Tollo tuli latum, ἀνώμαλον. Pſallo pſalli, ſine ſupino.

MO.

Præterita deſinunt in ui duas ſyllabas, ſi vocalis ante mo breuis in themate fuerit. in itum ſupina fiunt: gĕmo gemui gemitum.

Excipe,

Emo emi emptum: & cõpoſita, redimo redemi redemptum, premo preſſi preſſum.

Cum longa vocalis in themate præcedit vltimam ſyllabam, pręterita in pſi fiunt, ſupina in ptum: Sumo ſumpſi ſumptum, como compſi comptũ. ſic & demo dempſi demptum.

NO.

Præterita deſinũt in ui vnam ſyllabam, ſupina in tum: vt Sterno ſtraui ſtratum. Sino ſiui ſitum. Lino leui litũ: apud Terẽtiũ, Releui dolia omnia.

Veteres etiam lini dixêre. & à linire, quod reperimus multis locis vſurpatũ eſſe pro linere, liniui. A cerno, veteres creui pro vidi vſurparunt, id nũc repudiat vſus.

Excipe,

Cano cecini: vnde compoſita degenerant, ſuccino ſuccinui, occino occinui.

Et pono poſui poſitum, temno tempſi temptum, gigno genui genitum.

PO.

Cum l aut r anteit poſtremã ſyllabam, præterita fiunt in pſi, ſupina in ptum. carpo carpſi carptum, repo repſi reptum.

Excipe,

Rumpo rupi ruptum, ſtrepo ſtrepui ſtrepitum.

QVO.

Linquo liqui lictum, coquo coxi coctum.

RO.

Præterita deſinũt in ui vnam ſyllabam, Supina in tũ. Nam ui ſimpliciter κατ' ἀναλογίαν in tum mutari ſolet. tero triui tritũ, quæro quæſiui quæſitum, ſero ſeui ſatum, non ſerui. quam vocem tamen quædam compoſita retinuere. vſurpatum etiam in ſimplici verbo à Vetuſtiſſimo. Inſero inſerui inſertũ, cum ſignificat admiſceo, interpono, vt Tibullus, Et rixas inſeruiſſe iuuat. Sic dicim9, Homeri poemati quidã nothi verſ9 inſerti ſunt. Propheticis libris apocrypha quædam ſcripta inſerta ſunt. Dicuntur autem, vt hoc obiter moneamus,

apocrypha,occulta:nõ,vt vulgò putãt,incerti authoris,ſeu ἀδέσποτα:ſed quòd illis publicè in tẽplis non licebat vti. Nam in docenda religione, nolebant admiſceri humana ſcripta. Itaque commentarios hominum non recipiebant in templa; nec authoritatem illorum valere voluerũt:& iuſſerunt apocrypha eſſe, id eſt latẽtia, non publicata, non recepta ſcripta.

Inſero inſeui inſitum, cum ſignificat *Enter*, ἐμφυτεύειν.

Conſero conſerui conſertum, pro commiſceo.

Conſero conſeui conſitum, *Semer*.

Ab obſero, obſitum extat.

Cætera compoſita non habent duplex præteritũ: Deſero deſerui deſertum. Exero exerui exertum tantum. Ouidius 1. Faſtorum,

Fœlices animæ, quibus hæc cognoſcere primum,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt illos pariter vitiíſque iocíſque,
Altius humanis exeruiſſe caput.
Non Venus & vinum ſublimia pectora fregit,
Officiúmve fori, militiǽve labor:
Nec leuis ambitio, perfuſáque gloria fuco,
Magnarúmque fames ſollicitauit opum.
Admouere oculis diſtantia ſydera noſtris,
AEtheráque ingenio ſuppoſuere ſuo.
Sic petitur cælum, non vt ferat Oſſan Olympus,
Summáque Peliacus ſydera tangat apex.

Adſero adſerui adſertum.

Variant à regula,

Gero geſſi geſtum. Vro vſſi vſtum. Curro cucurri curſum.

Verro verri verſum, apud Catonem, Villam conuerſe mundéque habeat.

Furo diſſyllabũ eſt, caret præterito & ſupino: ſed mutuamur inſaniui & inſanitum.

SO.

Iui fit in præteritis, itũ in ſupinis: vt Laceſſo laceſſiui laceſſitum, longa penultima. acceſſo acceſſiui accerſitum.

Excipe,

Viſo viſi viſum. Inceſſo inceſſi, apud Liuium Inceſſerat: quod certe ab inceſſiui fieri non potuit. Faceſſo faceſſi, ſine ſupino. Capeſſo capeſſi, ſine ſupino. Pinſo pinſui piſtum.

TO.

In pleriſque præteritis character eſt ui duæ ſyllabæ : meto meſſui meſſũ. Sterto ſtertui, ſine ſupino. Necto nexui & nexi nexũ. Pecto pexui & pexi pexum. Nam terminatio xi in præteritis, κατ' ἀναλογίαν parit xum in ſupinis.

Excipe,

Flecto flexi flexum, plecto plexi: ſed vſurpari deſijt. Verto verti verſum. Peto petiui petitum. Mitto miſi miſſum. Siſto mutuatur à ſtatuo præteritum ſtatui. Gellius dicit, ſtiti, præteritum huius verbi fuiſſe. Compoſita imitantur præteritum verbi ſto, Reſiſto reſtiti, conſiſto conſtiti, ſicut conſto.

VO.

Vo ſyllaba mutatur in ui ſyllabā in præterito, vt voluo volui volutum, ſoluo ſolui ſolutum.

Excipe,

Viuo vixi victum.

XO.

Texo texui textum. Nec enim ſunt alia huius terminationis.

CIO.

Ci præteriti character eſt, ctum ſupini.

Facio feci factum. Iacio ieci iactum. ſic & cōpoſita, Reficio refeci refectū. Adijcio adieci adiectum.

Facio cum nominibus aut aduerbijs cōpoſitum, non mutat a: vt Calefacio, benefacio.

A Specio, deſpicio deſpexi deſpectum. ſic alia cōpoſita.

A Lacio, allicio allexi allectum. ſed elicio elicui facit. Liuius, Ad colloquium vatem elicuit. Et elicitum ſupinum. Lucanus,

Virus & elicitum iuſſúmque exire repugnat.

DIO, GIO.

Di, gi, charactéres ſunt præteritorum: Fodio fodi foſſum, fugio fugi fugitum.

PIO.

ui, duæ ſyllabæ, character præteriti eſt: Rapio rapui raptum, ſapio ſapui, ſine ſupino.

Excipe,

Capio cepi captum, cupio cupiui cupitum.

RIO.

Pario peperi partum.

TIO.

Quatio quaſſi quaſſum:inde compoſita,Incutio incuſſi incuſſum,Percutio percuſſi percuſſum,&c.

VO DISSYLLABVM.

ui,duæ ſyllabæ character eſt præteriti·tum,ſupini: Arguo argui argutum,Imbuo imbui imbutum.

Excipe,

Struo ſtruxi ſtructum,Fluo fluxi fluxum,Ruo rui rutum,& ruitum facit. Pluo plui,& pluui veteres fecere. Supini in cõpoſitione vſus eſt complutum.

Præterita & ſupina, iuxta has regulas, quas recẽſuimus,variant:reliqua tempora κατ' ἀναλογίαν declinabis iuxta formulam verbi Lego,quæ in Donato extat.

Paſſiua,vt ſuprà, mutuãtur à participijs præterita, vt legor lectus ſum. Extat & horum formula apud Donatum,coniugatio verbi Legor.

Imitantur formulã paſſiuorum deponẽtia, quæ adſcribemus, ne procul cogantur quærere pueri. Ex ſupinis finguntur participia & præterita.Supina verò in ſingulis terminationibus, qualia fiant, in regulis ſuperioribus apparet. Verùm nõnulla etiam præterita diſcedunt ab analogia:

Adipiſcor adeptus ſum. Nam Varro dicit eſſe à veteri verbo Apiſcor:inde fit aptus.

Amplector amplexus ſum: ſic cætera compoſita. Comminiſcor commentus ſum.

A reminiſcor nullum extat præteritum.

Comperior, ſumptum à voce actiua, præteritum comperi facit.

Defetiſcor defeſſus ſum, à fatiſco.

Diuertor diuerti, actiua voce præteritũ facit. Expergiſcor experrectus ſum.

Fruor fruitus ſum, & fructus, inde & fretus eſt.

Fungor functus ſum. Gradior greſſus ſum: ſic compoſita, Aggredior aggreſſus ſum. Iraſcor iratus ſum. Labor lapſus ſum. Loquor locutus ſum. Morior mortuus ſum. Naſcor natus ſum. Nanciſcor nactus ſum. Nitor niſus vel nixus ſum. Obliuiſcor oblit9 ſum, penultima longa. Patior paſſus ſum. Paciſcor pactus ſum. Proficiſcor profectus ſum. Queror queſt9 ſum. Reuertor reuerſus ſum, & Reuerti, apud Ciceronem. Sequor ſecutus ſum. Vlciſcor vltus ſum. Vtor vſus ſum. Veſcor, Liquor carent præteritis.

DE QVARTA CONIVGATIONE.

In quarta coniugatione præteriti character iui eſt, ſupini itum penultima longa: vt audiui, auditum. Syncopã admittit præteritum, audij, audiſti. Cio ciui citum.

Suffio ſuffiui ſuffitũ: quod cum à fio videatur eſſe factum, tamen illi diſſimile eſt in coniugando.

Sed à regula, quædã verba in hac coniugatione variant. Venio vẽni, priore longa, ventũ. Vincio vinxi vinctum. Sãcio ſanxi & ſanciui, ſanctum & ſancitũ. Farcio farſi, fartum, & compoſitum refer-

cio referſi refertum. Fulcio fulſi fultũ. Haurio hauſi hauſtum. Sentio ſenſi ſenſum. Sepio ſepſi ſeptũ. Sepelio ſepeliui ſepultum. Salio ſalij & ſalui ſaltũ. nam ſaliui nuſquam apud authores inuenitur.

Aperio aperui apertum. Operio operui opertũ. Reperio reperi repertum.

Ab ambio, eſt ambītus penultima longa participium. Ouidius,

Iuſſit & ambitæ circundare littora terræ.

Et nomen, penultima breui. Lucanus in primo,

- letalíſque ambitus vrbi,

Annua vænali referens certamina campo.

In alijs, verbi E O ſupinum itum breuis eſt.

Hic etiam monendi ſunt pueri, in præterito imperfecto verbi eo, ibã dici: non iebam, ſicut audiebam. & futurum geminum eſt, eam, & ibo.

Formula coniugationis extat apud Donatum.

Paſſiua mutuantur præterita perfecta, vt in alijs, à participijs: vt auditus ſum. Et cum à ſupinis illa participia naſcãtur, memineris hic ſupini regularem vocem itum eſſe: & ad hãc formam deponentia coniugato, Largior largitus ſum.

Excipe,

Metior menſus ſum. Ordior orſus ſum. Orior ortus ſum. Sed eſt inde etiam oritur⁹ participium ἀνώμαλον, degenerátque hoc verbum in tertiam cõiugationem alijs caſibus, præter oriri & oriris. Verùm Ouidius etiam oreris fecit:

Tu quotiens oreris, viridíque in ceſpite flores.

Quàm potuimus, breuiſſimè cõplexi ſumus formulas præteritorũ & ſupinorũ. Supereſt nunc, vt vſu loquendi faciãt ſibi pueri familiares. Nam in ſermone coget eos res ipſa obſeruare varietatem temporũ & caſuum, quam deprehendent facilius, ſi in Gallico ſermone eandẽ varietatẽ temporũ in verbis animaduerterint. Sunt autẽ, vt Donatus etiam docet, duæ voces ſupinorum um & u, vt lectum & lectu. Eſt autem in vtraque voce infinitiui ſignificatio, quo contenti Græci nulla habẽt ſupina: vt venio ſpectatũ, id eſt venio ſpectare. Poſterior vox paſſiuè ſignificat: digna res auditu, id eſt digna audiri: facile dictu, facile dici: iucundum lectu, id eſt legi, ſeu cum legitur.

Eſt & caſus in verbis, quæ gerundia vocãt, quæ in participia quidam referunt. Sed quia poſt ſe caſum actiuorum regunt, non ſunt germana participia. Sunt autem tres tantum voces, Legendi legendo legendum: eáque ſimpliciter habent ſignificationem infinitiui. & quia infinitiui ſignificationẽ ſine temporibus ſæpe cum nominibus coniũgi, aut pro nomine vſurpari res cogit, & caſum tanquam in nomine requirebat ſententiæ ſtructura, vtiliter inuenta ſunt gerundia: vt Diſcẽdi cauſa eo in ludũ literarium. In diſcendo magnã voluptatem capiunt boni pueri. Ad diſcendum hortatur pater. Ne Græci quidem planè carere gerũdiis potuêre: ideò & ipſi tanquam gerũdia facturi, addidêre caſus articulorum infinitiuis: vt, ἐν δὲ μὴ φρονεῖν ἥδιστος βίος, ἐκ τοῦ φιλῆσαι γίγνεται τὸ

δυσυχεῖν. Sũt & anomala verba, quorum quædam ſupra receſuimus: vt Gaudeo gauiſus ſum. Fio fiebã, factus ſum, fiam. Infinitiuo, fieri. Prandeo prãſus ſum. Mœreo mœſtus ſum, & alia quædam ſimilia. Et eo, ibam, ibo. Et in cõpoſitis, Væneo vænibam vænibo, à vænum eo.

Nequibam, cõtra morem quartæ cõiugationis. Sunt autẽ in anomalis & hæc quæ Donatus coniugauit, Sum, volo, fero, cum compoſitis, adſum ades, aderam, adfui, adero.

Poſſum potes poteram potui potueram potero.

MALO.

Malo mauis mauult, malumus mauultis malũt. Imperfecto, malebam. Perfecto, malui. Futuro, magis volam.

Imperatiuo, Malis. Infinitiuo, Malle, ſine participio.

NOLO.

Et nolo, non vis, non vult, nolumus non vultis nolunt. Imperfecto, nolebam. Perfecto, nolui. Futuro, nolam. Infinitiuo, nolle. Extat hinc participium nolens.

EDO.

Edo es eſt. Virgilius, Eſt mollis flamma medullas. Pluraliter, edimus editis edunt.

Coniugatur & ἀναλογικῶς, Edo edis edit. Imperfecto, edebam. Perfecto, edi. Futuro, edam.

Imperatiuo, es, edat. Pluraliter, eſte, edãt. Futuro, eſto tu, eſto ille. Pluraliter, edamus, eſtote, edũto.

Optatiuo, vtinã eſſem, & ἀναλογικῶς, ederem.

Perfecto,ediſſem. Futu r o,eda.

Coniūctiuo,cum edā. Imperfecto, cum eſſem. Perfecto,cum ederim.Futuro cum edero.

Infinitiuo,eſſe & edere. Perfecto,ediſſe.Futuro, eſum ire,& eſurum eſſe.

Gerundia,edendi edendo edendum.Ouidius,

Carpe cibos digitis,eſt quidam geſtus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu.
Néve diu præſume dapes,ſed deſine citra
Quàm cupias paulò,quàm potes eſſe minus.

A I O.

Indicatiuo præſenti,aio ais ait. Pluraliter,aiūt. Imperfecto,aiebam.Cætera deſyderantur.

S A L V E.

Imperatiuo,ſalue. Pluraliter,ſaluete.

Sic aue & vale declinant, cum ſunt ſalutādi verba. Infinitiuo,ſaluere.Suetonius in Galba,Veterē ciuitatis exoletúmque morem, ac tantū in domo ſua hærentē obſtinatiſſimè retinuit, vt liberti ſeruíque bis die frequētes adeſſent, ac mane ſaluere, veſperi valere ſibi ſinguli dicerent.

A V S I M.

Subiūctiuo,auſim auſis auſit.Pluraliter,auſint. Cætera deſyderantur.

C E D O.

Ea ſola vox pro dic,aut porrige,extat.Cedo dexteram,apud Terentium.

F A X O.

Futurum eſt indicatiui faxo pro faciam.Et ſubiunctiuo,faxim faxis faxit.Pluraliter,faxint.

FOREM.

Optatiuo,forem fores foret. Pluraliter,forent. Infinitiuo futuro,fore.

INQVIO ET INQVAM.

Indicatiuo,Inquio & inquã,inquis inquit. Pluraliter,inquiunt. Perfecto,inquisti inquit. Imperatiuo,inque inquiat.

INFIT.

Ea vna vox vsurpatur pro Ait.

QVAESO.

Quæso & quæsumus. Cætera desyderantur.

MEMINI, ODI, COEPI.

Præsentis & præteriti significationem habent vna voce.

Præterito,Memini,meministi, meminit. Pluraliter,Meminimus,meministis,meminerunt. Plus quàm perfecto,Memineram.

Imperatiuo,Memento. Pluraliter,Mementote.

Optatiuo, vtinam Meminissem, meminisses, meminisset.

Subiunctiuo, cum Meminerim, memineris, meminerit.

Futuro, cum Meminero, quo & indicatiui futuri significatione vtimur.

Infinitiuo,Meminisse.

Sic odi,& cœpi pro incipio.Grammatici his etiam verbum Noui addiderunt,quod quanquã à nosco est,tamen præteriti voce, habet præsentis significationem. Verum hæc tria, Odi, Cœpi, & Noui etiam imperatiuum desyderant.

DE IMPERSONALIBVS.

Perſonalia dicuntur, quibus certæ perſonæ nominatiuus præponitur: vt ego ſcribo, tu legis. Antonius imperator occidit Papinianum nolentem excuſare parricidium.

Imperſonalia dicuntur, quæ perſonam certã nominatiuo caſu in indicatiuo nõ recipiunt, ſed mutatur nominatiuus perſonæ in obliquos: vt quod Gallicè perſonaliter dicimus, *Il me fault apprẽdre par cueur Virgile*, Latinè imperſonaliter effertur, Oportet me ediſcere Virgilium.

Sunt autẽ duplicia imperſonalia: alia paſſiuæ vocis, alia actiuæ. Habent autem omnia caſum tertię tantum perſonæ.

Paſſiuæ vocis imperſonalia fiunt ab omnibus verbis actiuis & neutris, vt docetur, ſcribitur. Virgilius, Vſque adeò turbatur agris. Et Galli habent hoc genus imperſonale: ſic enim efferũt, Legitur, *on lit*: dicitur, *on dit*. Ex his figuris Gallici ſermonis, facilè intelligẽt pueri nauram horum verborum, ſentiéntque nullam certam perſonam imperſonalibus præponi.

De conſtructione autem in Syntaxi dicemus.

Coniugatio ſequitur charactêrem paſſiuorum. recipiunt autem tantum terminationem tertiæ perſonæ.

Actiuæ vocis imperſonalium certus numerus eſt, Eſt, intereſt, refert, accidit, contingit, euenit, vacat, præſtat, reſtat, iuuat, conſtat, ſufficit, placet, libet, conducit, expedit, liquet, licet, decet, oportet,

tædet,miſeret,piget,pudet, pœnitet, ſolet,poteſt. In his quædam & perſonaliter vſurpantur, quædam planè non recipiunt perſonalem vocem. Nõ enim oporteo,pudeo,pœniteo dicimus. Sunt hoc genus verba imperſonalia certa in omnibus linguis,vt apud Græcos δεῖ, χρή.

Coniugatio imitatur perſonaliũ regulas,vt Vacat,vacauit. Nam tertiæ tantum perſonæ caſum habẽt,Placet placuit,pudet puduit,oportet oportuit. Eſt enim ui character præteritorum ſecundæ coniugationis. Sed à liquet non extat prẹteritum: à tædet, fit pertæſum eſt: à miſeret, miſertum eſt. Sunt in vſu & placitum eſt,libitum eſt, puditum eſt:licitum eſt, apud Plautum in Bacchidibus. Et pigitum eſt apud Statium,

Nec pigitũ eſt paruóſque lares,humiléſque ſubire.

Imperſonalia ſupinis & gerundijs carent. Eſt autem in coniugando,in vniuerſum vſus etiam doctorum obſeruandus. Nam ſæpe non vtimur caſibus quos analogia parit, vt Dor & for non dicimus.

De Participio.

PARTICIPIVM,eſt nomẽ verbale ſignificans tempus. nam per omnia imitatur nomen in declinatione & genere. Sed à verbo,vnde cadit,tẽpus mutuatur,& certã ſignificationem agendi vel patiendi. Elegans genus vo-

cum eſt, ſi commodè vtaris. Nam fœlicius pleraque, & magis ſignatè efferimus per participia, q̃ per verba. vt cum dico: Furor fit, læſa ſæpius patientia nõ paulo gratius eſt, quàm ſi dicas, Patiẽtiam, ſi ſæpe tentetur ac lædatur, furorem fieri. Includit enim participium, relatiuum vel particulas, dum, ſi, cum verbo.

PARTICIPIO ACCIDVNT,

Genus, Numerus, Caſus, Figura, Tempus, Significatio.

Genus, ex regulis de Nomine cognoſci poteſt. Nam omnis generis ſunt ea quæ ns finiunt, vt legens. Cætera mutant genera per terminationes more adiectiuorum: vt hic lectus, hæc lecta, hoc lectum.

Numerus & Caſus ijdem qui in nomine. Et formulæ declinationis apud Donatum extant.

Figura ſimplex, vt ſpirans. Decompoſita, vt reſpirans. nam nulla ſunt compoſita participia, niſi ex verbis compoſitis.

Tempus ex formatione cognoſcitur. Præſens, vocum eſt ns finientium: fitque à præſenti verbo. Futurũ vocum eſt urus, & andus vel endus finiẽtium: fitque à ſupino futurum in rus. Cæteræ voces ſignificant præterita, fiúntque à præteritis.

Significatio. Ea verò pueris in primis obſeruanda eſt, vt diſcãt quæ actiuè, quæ paſſiuè ſignificẽt. qua in re ſæpe videmus peccare imperitos.

Actiuè ſignificant, quæ ab actiuis cadunt. Nam

participium imitatur ſui thematis ſignificationẽ.
Porrò ab actiua voce duplicia veniunt participia: Præſens in ns, vt legẽs: Futurum in urus, vt lecturus: atque hæc actiuè ſignificant.
A neutris cadunt ſimilia participia. imitantur ſuorum verborum ſignificationem & hæc.
A paſſiuo item duplicia, Præteritum, vt lectus: & Futurum, legendus: eáque paſſiuè ſignificant.
Fiunt à neutris paſſiua participia, ſed ab his tantũ quorum tertiæ perſonæ paſſiuè vſurpantur: vt aratur terra. Hinc arata & aranda terra. Sic Virgilius, Arte laboratæ veſtes. Arata littora. Sic Decurſo ſpatio. Eſt & illud dictũ καταχρηστικῶς Quæ venit indignè pœna, dolenda venit. Item, Vírque mihi dempto fine carendus abeſt.
A deponenti triplicia: Præſens, loquens: Præteritũ locutus: Futurum, locuturus. In his ſunt & futura in dus, cum videlicet verbum paſſiuè ſignificat (nam rus eſt actiuæ ſignificationis) vt ſequendus, vtendus.
A cõmunibus quadruplicia, Præſens criminans, Præteritum criminatus, Futurum actiuum, criminaturus, Paſſiuũ futurum, criminãdus. Admonuimus autem ſuprà veteribus plura fuiſſe communia verba, quàm nobis. Hinc participia extant, mentita tela, meditata omnia, expertæ virtutis, paſſiua ſignificatione, quòd verba horum olim cõmunia fuerint. Sunt & anomala participia, vel potius ἀδιάπτωτα, quæ nõ habent verba certa, ex quibus formentur. Iuratus acti-

uè, ſignificationem aoriſti Græci habet, ὀμώσας.

Exoſus & peroſus actiuè ſignificant, vt Græcum aoriſton μισήσας. vt Ouidius, Tedas exoſa iugales. Et Virgilius, Lucémque peroſi. Eſt & oſurus apud Ciceronem de Amicitia, Negabat vllã vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quàm eius qui dixiſſet Ita amare oportere, vt aliquando eſſet oſurus.

Perſonalia verba ferè omnia ex ſe pariunt participia. Sed eſt tamen obſeruandũ quid vſus probet. nam fiens, iens, fiendus, naſcendus, aut naturus à naſcor nemo dixit: at naturã dicimus. A ſum tametſi veteres fecerint ens, ſicut Græci ὤν ab εἰμὶ, tamen ipſi tanquam abſurdum repudiarunt. at inde Futurus participium extat.

Ab imperſonalibus, quæ non recipiunt voces perſonalium, nulla extant participia, præter pudẽdus, pœnitendus, & pertæſus, decens, libens.

Neque hìc prætereundum eſt, degenerare participia in nomina, vel compoſitione, vt Indoctus: nam indoceo non dicitur. aut amiſſo verbi caſu, vt Fugitans litium, cupiens pecuniæ: nã participia regunt verborum caſus. At cum in nomina degenerant, genitiuos adſciſcunt: vt Amãs præceptoris diſcipulus. Eáque comparantur, & caſus cõparationis recipiũt: vt, Nemo eſt me amantior præceptoris. Similia participijs ſunt, tunicatus, perſonatus, obæratus, & ſimilia. ſed ea ſunt nomina: nam nec ex verbis naſcuntur, & tempus non ſignificant.

In bundus, nomina sunt: tametsi Liuius casum participij addiderit voci concionabundus, in tertio libro primæ decados, Hæc concionabundus circuibat homines.

De Aduerbio.

ADVERBIVM vocarũt, quod actionis aut passionis circunstantiam vna voce effert: vt, Dicit grauiter, Venit properé. Ideóque aduerbium vocarunt, quòd verbo circunstãtiam adijciat.

ADVERBIO ACCIDVNT
Species, Significatio, Figura, Comparatio.

Species duæ: Prima, & deriuatorum. Prima eorũ est, quæ non aliunde nata sunt: vt Cras, heri, pax id est tantum.

Deriuata sunt, quæ cadunt aliunde: vt Vesperi, quod est à nominis datiuo. alternis. furtim, à verbo furor. strictim, à verbo stringo. Homerice, ab Homero. humanitus & humaniter: quædam enim variè efferuntur. Sæpe autem & nomina genere neutro fiunt aduerbia: vt, Infans recens natus: &, toruum videt, pro torué. Hoc modo sæpe Græci adiectiua neutra mutant in aduerbia.

Significationis multa capita sunt, cuius vim ita rectè poterit peruidere puer, si cogitabit illam varietatẽ significationis, ex varietate circunstantiarũ in actionibus nasci. Nam tempus, locus, quãtitas,

qualitas,&c.nihil ſunt niſi actionum circunſtantiæ. Et quia Donatus probè percenſuit capita ſignificationis, non eſt opus hic repetere. Tantùm hoc monendos putabam pueros, vt diligẽter obſeruent naturam localium aduerbiorum, quæ in loco, quæ ad locum, quæ de loco ſignificent. Nam ea in re nonnunquam peccatur.

In loco ſignificãt Hic, illic, iſtic, ibi, vbi, vbicũque, vbique, vbiuis, alibi, intus, foris, ſuprà, *deſſus*: infrà, *deſſoubz*. Tibullus lib. 1. Eleg. 10,

Non ſeges eſt infra, non vinea culta: ſed audax
Cerberus, & ſtygiæ nauita puppis aquæ.

Ad locũ: Huc, illuc, iſtuc, eò, quò, aliquò, nequò, ſiquò, quocunque, intrò, foras.

Huc pertinent quæ & verſus locum ſignificant: vt Introrſum, retrorſum, ſurſum, deorſum, quorſũ, læuorſum, dextrorſum.

Sunt autem compoſita à verſus, quod videtur habere aduerbij ſignificationem. Nam & præpoſitionem aliam permittit nomini adiungi. vt Plinius lib. 6. cap. 32, Ad occaſum verſus. Et Cæſar ſine præpoſitione, Maſſiliam verſus.

De loco: Hinc, illinc, iſtinc, inde, vnde, alicũde, cælitus, funditus, radicitus, infernè, ſupernè quod vulgus dicit déſuper. Plinius, Argentum innatat ſupernè, ſicut oleum aquæ. Id eſt déſuper.

Per locum: Hàc, illàc, iſtàc, nequà, ſiquá.

Inter localia numerant etiam hos caſus: Domi, militiæ, humi, ruri. Item propria nomina locorum: Romæ, Romam, Roma. Nos inter nomina

relinquimus, déque cõſtructione eorum ſuo loco dicemus. Obſeruabunt autem pueri, nonnunquã localia tempus ſignificare, vt IBI, pro TVM ſæpe accipitur.

Vſque, & temporibus & locis accommodatur, & additur vocibus aliàs de loco, aliàs ad locum ſignificantibus. vt Cicero, Vſque ad Numãtiam miſit. Et Terentius, Ex AEthiopia vſque eſt hæc. Et pro Archia, Inde vſque à prima pueritia repetens.

Non adſciſcũt nominum caſus aduerbia, ideóque ſcripſerunt veteres grammatici degenerare in præpoſitiones aduerbia caſum recipientia: vt Pridie, quod priorem diem ſignificat, aliàs genitiuũ, aliàs accuſatiuum adſciſcit. vt Cicero ad Lentulũ, Pridie eius diei fregeramus. Et, Pridie Nonas Iunias, ad Appium. & ad Atticum, Pridie cõpitalia.

Poſtridie, eſt poſtero die. genitiuum & accuſatiuum adſciſcit.

FIGVRA

Simplex, vt Prudenter. Compoſita, vt Interdiu. Decompoſita, vt Imprudenter.

COMPARATIO.

Aduerbia orta à nominibus adiectiuis, imitantur nominum comparationem, & recipiunt in cõſtructione caſus comparatiui & ſuperlatiui: fortiter, fortius, fortiſſimé. Sic & quædam alia non nata à nominibus: ſæpe ſæpius ſæpiſſime, nuper nuperrime, ſine comparatiuo.

De Præpoſitione.

PRAEPOSITIO, eſt propemodum articulus verbo nomen adiungens, quod aliquam facti circunſtantiam ſignificat: vt, Nõ datur ad muſas currere lata via. Nam(muſas) non poterat addi verbo (currere)niſi Præpoſitio (ad)tanquam articulus adiungeret.

ACCIDIT

Præpoſitioni conſtructio,eáque ferè ex Donato cognoſci poteſt.ſed eſt mira varietas ſignificationis etiam in ijſdem caſibus, quã nos regulis complecti non poſſumus: vſu legendi & ſcribendi diſcenda eſt. Vt aliud ſignificat SECVNDVM, cum dico,Secundum aurem vulnus accepit.aliud apud Suetoniũ in Auguſto,Ipſum eſſe cuius imago ſecundũ quietẽ ſibi obuerſata ſit.aliud in Claudio, Abſentibus ſecundum præſentes facillimè dabat. Eam varietatem vſus docebit. Aliæ verò præpoſitionũ verbis accuſatiuos adiungũt,aliæ ablatiuos

ACCVSATIVOS XXVII.

Ad	Ad Calendas Græcas.
Apud	Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti.
Ante	-dicíque beatus Ante obitum nemo ſupremáque funera debet.
Aduerſus	Ne Hercules quidem aduerſus duos.
Cis	Vuittenberga nobis cis Albim cita eſt.

	Eſt modus in rebus,ſunt certi denique
Citra	fines:
Vltra	Quos vltra citráque nequit conſiſtere rectum.
Intra	Crede mihi,bene qui latuit, bene vixit: & intra Fortunã debet quiſque manere ſuã.
Extra	Extra omnẽ ingenij aleã poſit⁹ Cicero.
Circum	Locale eſt:Circum montem.
Circa	Circa forum,Circa viginti annos.
Circiter	Tempus & numerum ſignificat, Circiter horam decimam.
Contra	Contra ſtimulum calces.
Erga	Princeps erga populum clemens.
Inter	Multa cadunt inter calicem ſupremáque labra.
Infra	Quem ego infra omnes homines eſſe puto.
Supra	Supra,*par deſſus*. Dux hoſtium cum exercitu ſupra caput eſt.
Iuxta	Cum lucubrando iuxta ancillas lanam faceret.
Ob	Fœda mors ob oculos erat.
Per	Impiger extremos currit mercator ad Indos:Per mare,pauperiem fugiens, per ſaxa,per ignes.
Prope	Id etiam comparatur. Liuius, Caſtra propius hoſtem mouit.Cicero,Operam det,vt cũ ſuis copijs quàm proxime Italiam ſit.

Præter	Ita fugias, ne præter caſam. Terentius.
Propter	Aliquid mali propter vicinum malum.
Poſt	O ciues ciues, quærēda pecunia primũ; Virtus poſt nummos.
Penes	Me penes eſt vnũ vaſti cuſtodia mũdi.
Secundũ	Secundum deos, homines hominibus maxime vtiles eſſe poſſunt.
Trans	Cælum, non animum mutant qui trās mare currunt.

ABLATIVOS XIIII.

A	A Ioue principium Muſæ, Iouis omnia plena.
Ab	Hac vtuntur ſequente vocali, Ab alio expectes, alteri quod feceris.
Abs	Abs quiuis homine beneficium accipere, gratum eſt.
Abſque	Terentius, Abſque eo eſſet.
Cum	Damnum appellandum eſt cum mala fama lucrum.
Clam	Clam patre. & Plautus, Clam patrem.
Coram	Coram ſenatu acta res.
De	Alter rixatur de lana ſæpe caprina.
E	Qui falſum teſtimonium dixiſſe conuictus erat, è ſaxo Tarpeio deijciebatur. Gellius.
Ex	Ex malis moribꝰ, bonæ leges natæ ſũt.
Pro	Comes facundus in via ꝓ vehiculo eſt.
Præ	Huic aliquid præ manu dederis vnde vtatur.

Sine Nulla dies ſine linea.

Tenus Iulius Cæſar tertium & quartũ conſulatum titulo tenus geſſit. Græcum eſt, crurum tenus. Nam & in ea ſignificatione Latini ablatiuo vtuntur: vt, Capulóque tenus ferrum impulit ira.

Quatuor præpoſitiones & accuſatiuum & ablatiuum recipiunt, ſed ferè diuerſa ſignificatione.

In, accuſatiuum cum motum ad rem ſignificat. vt Horatius, In vitiũ ducit culpæ fuga, ſi caret arte. Terẽtius, In rem vtrique eſt maxime. Et pro cõtra, Cicero in Antonium inuectus eſt. Cum in re verſari ſignificat, ablatiuũ adſciſcit. vt Ouid.
Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt experiunda fides.

Veteres in hac etiã ſignificatione, Græca cõſuetudine vſi ſunt. vt apud Terentium, Vbi videt me eſſe in tantũ honorem. pro, in tãto honore.

Sub, cum tempus, aut motum ad rem ſignificat, accuſatiuum requirit. Virgilius, Sub lucem exportãt calathis. id eſt circiter. Virgil. 4, Audiam, & hæc manes veniet mihi fama ſub imos. Suetonius, Sub horã pugnę tam arcto repentè ſomno deuictus. Cicero nõ diſſimili ſignificatione ad Plancum ſcripſit, Sub eas ſtatim tuæ recitatæ ſunt. Et de loco: Cicero de Oratore, Ea quæ ſub oculos ipſa non cadunt.

Ablatiuo coniungitur, cum verſari in loco ſignificat: vt, Sub dio. Et Virgilius, Vaſto vidiſſe ſub antro.

Super, *deſſus*. Item ad locum ſignificans, accuſatiuũ

requirit. Suetonius, Super se collocauit. Cum situm significat in loco, cum accusatiuo & ablatiuo construitur. Virgilius, Fronde super viridi. Et, Quam super haud vllæ poterãt impunè volantes Tendere iter pennis. Liuius, Quatriduũ super rupem absumptum. Significat & præter. Suetonius in Claudio, Super cætera flagitia. Et de: vt, Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Et inter: vt, Super cœnam. pro, inter cœnandum.

Eadem est & particulæ Subter cõstructio apud Liuium, Est subter terram. Apud Virgilium, Densa subter testudine.

Cum amittunt præpositiones casum, fiunt aduerbia: vt apud Salustium, Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti, incultíque, vitã sicuti peregrinantes transegere, quibus profecto contra naturã corpus voluptati, anima oneri fuit: eorum ego vitã, mortémque iuxtà æstimo. Nam ibi IVXTA, amisso casu, similiter significat. Ita, Multis pòst sæculis. Virgilius, Longo pòst tempore veni.

Palàm & Ponè in aduerbijs numeramus, quòd ferè sine casu ponantur. Sic vsque & versus. Secus non vsurpant docti, nisi pro aliter, aduerbij significatione. Cicero pro Planco, Cuius ego salutem, non secus ac meam, tueri debeo.

De Cõiũctione.

CONIVNCTIO est, quæ subinde superioribus sententijs alias annectit: vt, Nox & amor, vinúmque nihil moderabile suadẽt. Nam huic sentẽtiæ, nox nihil moderabile suadet, coniunctio annectit amorem & vinum. Multum hæc pars orationis conducit ad rectè connectendã orationem. quare natura particularum huius generis diligenter excutienda est.

ACCIDVNT CONIVNCTIONI TRIA, Figura, Potestas, Ordo.

Figura simplex, vt nam. Composita, vt nanque.

Potestas, significatio est. Sunt autem septẽ species:

Copulatiuæ, Et, que, quoque, ac, atque, etiam, simul, tum: vt, Cum ego, tum alij aderant. Ac, collationem aliquando significat: Aliud mihi respondes ac rogo.

Disiunctiuæ, Ve, vel, aut, siue, seu.

Aduersatiuæ, At, sed, ast, verùm, verò, porrò, atqui, tamen, quanquam, quanuis, etsi, licet, licebit, saltem. Nam hæ diuersam sententiam superiori subijciunt, vt apud Ouidium,

Si modo non census, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos, ingeniúmque facit.

Prior sentẽtia est, nobilitatẽ non in censu, aut maiorum imaginibus esse positã: aduersa subijcitur particula, sed in probitate & virtute sitam esse

nobilitatē. Ad hunc ordinē IMÒ pertinet, corrigendi particula. vt apud Terentium, Quid dixi habere me? imò habui.

Cauſales, Nam, nāque, enim, etenim, quia, quoniam, quando, quandoquidem, ſi, ſiquidem, niſi, ni, enimuero. Eáque particula nonnunquam adfirmatiua eſt: vt, Enimuero Daue, nihil loci eſt ſegnitiæ. Huc pertinent etiam concedendi & prohibendi particulæ: Vt, Iubeo vt venias. Ne: Quæſo ne facias. Sunt enim & aliæ ſignificationes harum vocum. VT apud Virgilium ſignificat ordinem, Vt vidi vt perij.

Ratiocinatiuæ, Ergo, ideò, igitur, idcirco, quapropter, proinde, quamobrem. Hæc enim cōcluſionem rationi præpoſitæ accommodant. Nihil eſt homini vtilius ſcientia literarū: ſunt igitur magno ſtudio diſcendæ literæ.

Ordinis, Inſuper, poſtea, poſtquam, deinceps, deinde.

In hac ſignificatione, VT nōnunquā vſurpatur: Vt vidi vt perij, vt me malus abſtulit error!

Adprobatiuæ, Quidē, equidē: vt, Diſcit literas, & ſtrenuè quidem.

Completiuas vocarūt Grāmatici, quòd nulla ſignificationis neceſſitate, ſed ornatus gratia inſerūtur orationi. ſicut Græcis μὲν, δὴ. ſed mihi intereſſe aliquid videtur inter Græcas illas, & particulā quidē: habétque ea planè adprobādi ſignificationē. Cicero de Amicitia, Qui autē in virtute ſummum bonū ponunt, præclarè illi quidē:

ſed hęc ipſa virtus amicitiã & gignit & cõtinet.

Ordo. Quædã ſunt præpoſitiuæ, vt Nã, quare, ideo, etenim, at, aſt, nec, ſi, quin, niſi, ſeu. Nõ enim recte dixeris, Eſt nam bonus vir. Sed, Nam eſt bonus vir. Quædã poſtpoſitiuæ, vt Enim, autẽ, quoque, vero. Rectũ eſt, Eſt enim bon⁹ vir. Nõ eſt rectũ: Enim eſt bon⁹ vir. In his ſunt quæ ἐγκλιτικαὶ dicũtur, id eſt quæ ſuũ tonũ reijciũt in finẽ dictionis cui adhærẽt: ideóq; ἐγκλιτικαὶ dicũtur, ab inclinato tono in extremam ſyllabã proximæ vocis. ſunt autem, Que, ne, ve. vt apud Horatium,

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis:
Indoctúſque pilæ, diſcíve trochíve, quieſcit.

Quædam indifferenter præponuntur aut poſtponuntur, Ergo, igitur. Adhibebũt igitur pueri in loquendo hanc curam, ne quid in collocandis cõiunctionibus peccent, & bonorum authorum exempla hac in re ſtudeant imitari.

De interiectione

INTERIECTIO, propemodũ nõ eſt dictio, ſed tantũ ſonus inconditus, animi adfectũ ſignificãs. Significant autẽ aliæ admirationẽ, vt Papæ. Aliæ dolorem, vt Hei, heu, ah, proh dolor. Alię metũ, vt At at. Alię indignationẽ, vt ò, proh Iupiter, &c. Suppeditabit plures etiã ſpecies lectio authorũ, quas, cum in infinitũ pene pateant, nihil attinet hîc recẽſere. Eſt autem parcè in loquendo vtendum hoc vocum genere.

De Syntaxi.

SYNTAXIN Græci, noſtri conſtructionem vocant, rationem contexēdæ orationis, & coniungendarum vocū: ita vt certam ſententiam dilucidè repræſentēt. In tenui, vt ait Virgilius, labor eſt: at tenuis non gloria, nec mediocre pretium operæ, poſſe animi ſenſa citra ambiguitatem efferre. Nam quibus hæc grāmaticæ pars non ſatis familiariter nota eſt, ij, quia temere congeiūt voces, nō poſſunt explicare quod ſentiunt: ſed dant ſine mēte ſonum, & inani quodam ſtrepitu feriunt aures, perinde atque fluctus littora ferit. Eſt autem in pueriliƀ ſtudijs in primis opera danda, vt ſermonē ſibi quiſque perſpicuum & planum comparet, quo expromere animi cogitata, ſine ambiguitate poſſit. Indigni mihi hominis vocabulo videntur, qui, quoties rés ſeriæ orationem flagitant, tanquā κωφὰ πρόσωπα in comœdijs, nullam vocem edere poſſunt. Sæpe etiam comperi pueros, cum bonorum verborū magnam haberent copiam, tamen quia certam ſtructuræ rationem non norant, non eſſe auſos loqui: quibus opera omnis collata in literas, vnam hanc ob cauſam perierat, quòd ſyntaxin non didicerant. Quare diu mihi in hac parte grammatices puer detinendus videtur, dum omnes formulas coagmentandarum vocum cognouerit, & tanquam architectum orationis profiteri ſe auſit.

De Nomine.

N OMEN ſine verbo, nō abſoluit orationem, aut integram ſentētiam. Eſt enim oratio, integræ ſententiæ explicatio. Et tamen multa ſæpe nomina connectuntur, quibus vnum verbum reſpondet. Quare principio de nominum Syntaxi dicemus.

PRIMA REGVLA.

Adiectiuum & ſubſtātiuum eodem genere, numero, & caſu cohærent: vt Amicus certus in re incerta cernitur.

Ad eundem modum & participia ſubſtantiuis connectuntur: vt,

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Idem ſeruatur in pronominibus: vt,

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Et interrogationibus: vt Cuius ſententia eſt? Ciceronis.

SECVNDA REGVLA.

Relatiuum cum antecedente ſubſtantiuo, neceſſe eſt genere & numero cōſentire. caſu nō ſemper conuenit, nam is ſequenti verbo reſpondet: vt, Literas accepi tuas, quæ mihi magnæ voluptati fuerunt.

Eſt & vbi ſequentis ſubſtantiui genus, caſum &

numerum mutuatur. Salluſt. Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Et Liuius, Carcerem ædificatũ eſſe, quod domicilium plebis Romanæ vocare ſolitus eſt. Sed rara hæc figura eſt.

QVALIS, ſuum ſubſtantiuum adſciſcit, à quo mutuatur caſum, genus, & numerum: vt Talis eſt ciuitas, quales ſunt principum mores.

TERTIA REGVLA.

Subſtantiuum cum ſubſtantiuo, genitiuo caſu iungitur: vt, Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Atticiſmum vocant, cum in hanc formam mutamus adiectiui & ſubſtantiui conſtructionem: vt pro, nulla pecunia, nihil pecuniæ. Nam adiectiua genere neutro, vertunt in ſubſtantiuorum naturam: vt apud Catullum, Sed non videmus manticæ quid in tergo eſt.

Aduerbia copiæ aut penuriæ imitãtur hãc ſyntaxin: Satis eloquentiæ, ſapientiæ parum, abundè verborũ. Eſt & hic Atticiſmus, Id genus, pro eius generis. Multi hoc tempore prætextu Euangelij ſeditiones excitant: id genus homines odi, nam ſibi regnum, non CHRISTO parant.

Eſt & alia quædã forma, ſed qua in paucis verbis vtimur: Homo nihili.

Res mancipij: pronũtiatur autem mancipi tribus ſyllabis. Sed ea vox eſt genitiuus à nominatiuo mancipium. Res mancipij, id eſt res propria.

Addant his datiuum frugi, homo frugi, & particulam huiuſmodi. Hæc cũ omnibus generibus

casibus & numeris coniungunt.

QVARTA REGVLA.

Comparatiua adſciſcunt ablatiuos. vt Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum. Et pro ablatiuo interdum nominatiuus ponitur cum particula quàm, Vilius eſt argentum quàm aurũ. Sic autem & Latini comparatiua iterarunt, Triumphus clarior quàm gratior: &, Peſtilẽtia minacior quàm pernicioſior. Apud Liuium item, Quis interpretari poteſt, impudentiórne, an improbior? Plautus, Amicior mihi nullus viuit atque is eſt. Cic. Mihi videtur diutius abfuturus ac vellem. Has formulas adſcripſi, vt pueri obſeruent pro QVAM, Latinos vti particulis AC, ATQVE.

QVINTA REGVLA.

Superlatiua adſciſcũt genitiuos plurales, vel collectiui nominis ſingulares: vt Diſertiſſime Romuli nepotum. Et, Tytides Danaûm fortiſſimus.

Eo, quo, tanto, quanto, comparatiuis iunguntur: vt,

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quãto maior qui peccat habetur.

Multo, longe, comparatiuis & ſuperlatiuis prę-ponuntur. Cicero, Conſpectus veſter multo iucũdiſſimus.

SEXTA REGVLA.

Quæ partitionem ſignificãt, aut collectionem, item genitiuos plurales adſciſcũt: vt Nemo hominum, alter horum, pars ciuium. Cicero, Quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis.

Sic & comparatiua, partitionem significant: vt, O maior iuuenũ. id est inter iuuenes. Nam partitionem exponimus per particulam INTER: vt, Concionatorum alij purè docent Euangelium, alij adulteratũ impijs opinionibus. id est, inter concionatores.

SEPTIMA REGVLA.

Adiectiua quæ copiam, desyderium, notitiã, & contrà significant, genitiuos adsciscunt: vt Ditissimus agri Phœnicum. Stultorum plena sunt omnia. Cicero, Referta sceleratissimorum hominũ. Cupidus lucri. Ignarus hominúmque locorúmque. Fidẽs animi. Nec sum animi dubius. Peritus belli. Præsaga mens mali. Ambiguus futuri. Memor præteriti.

Sic & participia pleraque, cũ degenerant in nomina, & verborum casus amittunt: vt Fugitans litium, Cupiens pecuniæ, Patiens inediæ, Pertæsus tedæ & thalami.

Nam pertæsus thalamum, patiens inediam, participia sunt, nec significant ἕξιν.

REVS genitiuum adsciscit: vt Reus furti.

Sed his quæ copiam significant, inuenies etiam ablatiuos adijci. vt Cicero, Copijs abundans. Virgilius, Crura thymo plena.

OCTAVA REGVLA.

Datiuos adsciscũt quæ similitudinem, vtilitatẽ, facilitatẽ significant: vt Fidus amico, Amicus Cæsari, Par Homero. Virgilius, Haud vlli veterũ virtute secundus. Simillimum deo iudico.

Sed ſimilis etiam genitiuos adſciſcit: vt Domini ſimilis. Et Proprius. Plaut. Amatorē tibi propriū. Et Cic. Eius virtutis munus hoc eſt propriū.

NONA REGVLA.

Adiectiua, Græca cōſuetudine, accuſatiuos ſubſtantiuorum adſciſcunt: vt Nuda genu.
Et glacialis hyems canos hirſuta capillos.
Omnia Mercurio ſimilis, vocémque colorémque.

Grammatici συνεκδοχὴν vocarunt, id eſt comprehenſionem. Significat enim nomen totius, ad partem tantum referri, cum dico, AEthiops albus dentes: nomen ALBVS, totum AEthiopem ſignificat: verum quia accuſatiuus DENTES ſubijcitur, detorquetur & nominatiuus tantum ad partem.

DECIMA REGVLA.

Ablatiuus inſtrumenti ſubijcitur certis adiectiuis: vt Clarus ingenio, armis. Laſſus cura. Feſſus curſu. Lætus honore, imperio. apud Virgilium. Contentus paucis. Nonnunquam grauis ære domum mihi dextra redibat. Potēs pecunia, & Potēs à pecunia. Præceps ambitione. Sic & orbus parētibus. Liuius, Annibal æger oculis ex verna intemperie. Cicero, AEger pedibus.

Immunis, alienus, addunt præpoſitiones: vt, Immunis à bello. Alienus à me, & Alienum dignitate. Et apud Corneliū, Vacuus à periculo animus fuit. Vacuus ab odio, & Vacuus ira. Cicero, Cum ſumus neceſſarijs negotijs, curíſque vacui. Salluſtius, Ager frugum vacuus.

Dignus, indignus, ſimpliciter ablatiuos adſciſcunt. Dignum laude virum Muſa vetat mori.

VNDECIMA REGVLA.

Variæ figuræ ſunt deſcriptionis laudãdi aut vituperandi: ſed ablatiuis Latini libentius vſi ſunt: vt Puella vultu modeſto. Dici enim poteſt, Puella modeſta vultu, & modeſta vultum, συνεκδοχικῶς. Sic Columella, Aſinus ampliſſimi corporis, ceruice valida. Cicero, Erat infirma valetudine habitus.

DVODECIMA REGVLA.

Varia eſt ſyntaxis vocis OPVS: ſed ablatiuum ſæpius adſciſcit. vt Cicero, Opus eſt huic tuo iudicio. Nonnunquam præcedit nominatiuus, Dux nobis & author opus eſt. Rarum eſt, Opus eſt nobis hanc rem.

Et VSVS, apud Plautũ in Aſinaria, Viginti iam vſus eſt filio argenti minis.

DECIMATERTIA REGVLA.

Figuram Appoſitionem dixerũt, cum duo ſubſtantiua eodem caſu cõiunguntur, hoc modo, Effodiuntur opes, irritamenta malorum. Poſterius ſubſtantiuũ, declarãdi cauſa acceſſit, ideóque propemodũ induit adiectiui naturam. Sic Horatius, Et genus & formam regina pecunia donat. id eſt regnans.

De Syntaxi verborum.

NVNQVAM integra ſententia ſine verbo ex ſolis nominib⁹ cõſtat: quare cum nominibus certa quadam ratione verba coagmentantur.

PRIMA REGVLA.

Nominatiuus præcedit verbum finitum ſimili numero, & perſona: vt Ego lego, tu legis, hic legit. Nam pronomina naturam nominum habent. Vtimur autem prima & ſecunda perſona diſſimulatis pronominibus. Tertia perſona ſine nominatiuo, in verbis perſonalibus non vtimur: Cæſar & rex Gallorum conueniunt inter ſe. Nam duo ſingularia, poſtulant plurale verbum.

Eſt cum infinitiuus pro nominatiuo, Græca cõſuetudine, vſurpatur: vt,

Adde quòd ingenuas didiciſſe fidéliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Nam verbum emollit, reſpõdet his, tanquam nominatiuo, didiciſſe artes fideliter. Gręci ſic, τὸ μαθεῖν πραΰνει τὰ ἤθη. Eum infinitiuum circũloquimur finito verbo, adiecta particula QVÒD: Dolet Turcis quòd ab obſidione Viennẽſi repulſi ſunt. id eſt, ſe repulſos eſſe.

SECVNDA REGVLA.

Vocatiui ſecũdæ perſonę, & imperatiuis prępo-

nuntur. Nonnunquam etiam ſine verbo inſeruntur orationi:vt,

Durate,& voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Verbum finitum ſequitur aliquando nominatiuus,præcipue in verbis geſtuum: Dormit ſecurus, Bibo ieiunus,It cubitum incœnatus. Virgilius,

-medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum.

QVARTA REGVLA.

Verba ſubſtantiua præcedunt,& ſequuntur nominatiui. Sunt autem ſubſtãtiua,ſum, forem, fio, exiſto:quòd ſubſtãtiam,non actionem ſignificãt: vt Manus noſtræ ſunt oculatæ, credunt quod vident. Equus Alexandri, & capite & nomine Bucephalus fuit. Fama,eſt malum. Humor,eſt dulce ſatis. Nam hoc modo ex adiectiuis fiunt ſubſtantiua genere neutro. Sed hîc monendi ſunt pueri, Latinos ſæpe Ellipſi vti,omiſſo verbo ſubſtãtiuo.

Et nuncupandi verba:vt Princeps Saxoniæ vocatur Præfectus prætorio. Carolus deſignatus eſt Romanus Imperator. Ille ſalutatur doctor. Græcum eſt,Hic cupit audire theologus. id eſt dici.

Sed hîc obſeruent pueri formulas nominandi: dicunt enim Latini varie, Eſt mihi nomen Pomponius,apud Terentium. Et,Eſt mihi nomen Põponij,apud Plautum. Et,Eſt mihi nomen Pomponio,qua formula maximè delectãtur eruditi. Vetus eſt, Fecerunt illi nomen Aſcanium, apud Liuium.

De Figuris.

N OMINATIVI & verbi finiti ſyntaxes tradidimus. Prius quàm autem oſtendamus quomodo obliqui cũ verbis cohæreant, recẽſebimus figuras conſtructionis: quas ita vocãt, cum ab analogia & communi regula de nominatiuo & verbo, breuitatis cauſa, diſcedit cõſuetudo: vt Ego & meus miniſter properè adcurrimus, bellè dicitur cõtra analogiam. ſi analogiam ſequaris, eſt odioſa repetitio: Ego adcurro, & miniſter adcurrit.

Σύνθεσις, COMPOSITIO.

Syntheſis eſt, cum nomini multitudinis ſingulari reſpondet verbum plurale. nam ad intellectũ refertur cõſtructio: vt Turba ruunt. Gens armati. Pro ſe quiſque precari cœperũt. Quiſque ſuos patimur manes. Pars epulis onerant menſas.

Eunuchus mea. nam & hic ad intellectum refertur conſtructio: mea, ſcilicet fabula.

Conſtructio eſt ad intellectum referenda & in his verbis, Pluit, Tonat. Hic enim omittitur nomen, quod nõ ſolet fieri in alijs perſonalibus verbis. Quare Grammatici hæc verba Pluit, Tonat, Fulgurat, Inquiunt, Aiunt, vocauerunt Verba exemptæ actionis. Intellectu tamen addimus nomen, homines aiunt, aqua pluit, cælum tonat, cælum fulgurat. vt Tibullus, Multus & in terris

depluerétque lapis. Interdū additur obliquus pro nominatiuo: vt Pluit lapides, & Pluit lapidibus.

ζεῦγμα, ADIVNCTIO.

Eſt cū multis ſubſtātiuis vnum verbū, ſeu adiectiuum additum, conſentit cū propiore ſubſtantiuo, vt Semper honos, noménque tuum, laudéſque manebunt. Hic illius arma, hic currus fuit. Socijs & rege recepto. Hebræi ſunt & ego. Nihílne te nocturnū præſidiū palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil cōcurſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus ſenatus habendi locus, nihil horum ora vultúſque mouerunt?

σύλληψις, COMPREHENSIO.

Longius degenerat ab analogia: nam hîc multis ſubſtantiuis ita verbum aut adiectiuum adijcitur, vt conſentiat cum remotiore ſubſtātiuo, ſed præſtantiore. Porrò pluralis numerus præſtat ſingulari: Maſculina, fœmininis: Prima perſona, ſecundæ: Secunda, tertiæ.

Hîc numeri tantū variāt: vt, Milites & imperator pugnant. Hic illius arma, hic currus fuerunt.

Hîc genera variant:

Eſt mihi nanque domi pater, eſt iniuſta nouerca:
Bíſque die numerāt ambo pecus, alter & hœdos.

Hîc perſonæ variant: Ego & vicinus concertauimus. Tu & frater belle conuenitis.

Sunt & Syllepſes, - Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt.

πρόληψις, PRAEOCCVPATIO.

Partitio quędam eſt ſeu diſtributio, cum nomi-

ni partes ſubijciuntur, verbo non repetito: vt Milites redeunt, hic ex Hiſpanijs, ille ex Gallijs.

Ἀντίπτωσις, CASVS PRO CASV,

Eſt vbi contra analogiã antecedens imitatur caſum relatiui: vt, Vrbẽ quã ſtatuo veſtra eſt. Populo vt placerent, quas feciſſet fabulas. pro fabulæ.

ENALLAGE,

Mutatio eſt, ſine vlla ratione, tantũ concinnitatis cauſa vſurpata, quia delectat interdũ varietas.

Sũt autẽ penè infinitæ Enallagæ, ex quibus nos hanc formã ponemus. Interdum verbum ſubſtantiuũ numero cõuenit cũ poſteriore nominatiuo contra rationẽ: vt Amantiũ iræ, amoris redintegratio eſt. Ratio enim poſcebat dici, Amantium iræ, ſunt amoris redintegratio: quia verbum debet conuenire cum præcedente nominatiuo.

Eſt & hæc Enallage, ſine ratione tantum cõcinnitatis cauſa facta mutatio, cũ vtimur in narrando, Infinitiuo, pro præterito imperfecto Indicatiui: vt, Facile omnes perferre ac pati. pro perferebat ac patiebatur.

EVOCATIO.

Vocarunt euocationem, cũ verbo primæ aut ſecundæ perſonæ nomen præponitur: vt, Ego Virgilius lego, Tu Apollonius ſcribis, Nos poma natamus. Plautus, Tũ denique homines noſtra intelligimus bona, cũ quæ in poteſtate habuimus ea amiſimus. Voluerunt enim Grãmatici tertiam tantũ perſonam in nominibus eſſe. Sed nõ video cur adiecta pronominibus nomina, nõ mutuen-

tur ab eis personā:tametsi verum est,quòd duriusculè cohærent verba primæ,aut secundæ personæ cum nominibus.

De Verborum

SYNTAXI CVM OBLIQVIS.

PRIMA REGVLA.

A CTIVA verba omnia accusatiuos adsciscunt: vt Sophiam me Graij vocant, Latini sapientiam. Vsus me genuit,mater peperit Memoria.

Auriculas asini Midas rex habet.

Neutra sine accusatiuis absoluunt sententiam, ideóq; absoluta verba vocauit Priscianus:vt,Crescit amor numi,quantũ ipsa pecunia crescit. Sed quędam neutra accusatiuos cognatæ significationis adsciscunt: vt Aro terram, Gaudeo gaudium, Olet vnguentum, Salto fabulam,Dormit Epimenideum somnum,Bibo vinum.

Et Græca,ληρῶ λήρον.

Sunt autē admonendi pueri, non omnium nominum accusatiuos promiscuè omnibus actiuis subijci posse,sed habendam esse rationē φράσεως. Interest enim inter hæc, Feci dãnum,& Dedi dãnum. Habeo orationē,rectum est: nõ est rectum, Facio orationē. Rectũ est,Facio verba:nõ rectum, Habeo verba.Differt itē,Dat verba.Et Capio voluptatē, rectius est,quàm, Cepit me voluptas. Et,

Cepit me obliuio, rectè dicitur: nõ autẽ, Obliuione captꝰ sum. Sed hæ figuræ in quotidiana lectione authorum deprehẽdentur. Nos his pręceptionibus noluimus inserere, ne onerarentur infirma ingenia puerorum nimia prolixitate cõmentarij. Et cõgesserunt Valla & Adrianus Cardinalis non cõtemnendum numerũ huiusmodi formularum: qui proponendi sunt pueris, vbi prima elementa grãmatices perceperint. Est enim his qui purè Latinè loqui student, opera danda vt in prõptu habeant magnã supellectilem, non modo bonorum verborũ, sed & formularum sermonis, quæ in vsu veterum fuere. nam ita demũ redolebit sermo Latinam φράσιν, & perspicuus erit, cum in compositione verborum, veterum exempla & consuetudinem imitabitur. Sed redeo ad pueriles regulas.

Variè dicunt Ludo aleam, & ludo talis.

SECVNDA REGVLA.

Accusandi verba, & memoriæ, adsciscũt præter accusatiuum genitiuos causam significantes.

Plautus, Furti se adstringit.

Terentius, Hic se furti adligat.

Suetonius, Dolabellam repetũdarum postulauit.

Liuius, Cum capitis anquisissent.

Plinius, Inuenimus Egnatii vxorem, cum vinũ bibisset è dolio, interfectã fuste à marito, eúmque cædis à Romulo absolutum.

Cicero, Sceleris condemnat generum suum.

Ouidius, Otia delectent, admoneántque mei.

Memini huius rei, & hanc rem.

Obliuiſcor huius rei.

Recordor huius rei,& hanc rem.

Extāt & hæ formulæ apud bonos authores. Cicero, Ne quem vnquam innocentem iudicio capitis arceſſas.

Cicero, Putaui ea de re te eſſe admonendum.

Cicero, Inertiam accuſas adoleſcentum.

Cicero, Condemnabo eodem te crimine.

Item παθητικὸν, Miſereor huius.

Sed miſereor accuſatiuū adſciſcit: Miſereor rempublicam. id eſt deploro.

TERTIA REGVLA.

Verba omnia, in quibus eſt quędam concedendi ſignificatio, datiuum adſciſcunt, qui perſonam deſignat: Dat veniā coruis, vexat cenſura colūbas. Tribuo illi eruditionem. Glycyrrhiza medetur tuſſi. Benedico tibi, non te. Maledico illi, non illum. Studeo huic rei,& hanc rem. Quintil. Abdicatus medicinæ ſtuduit. Item, Poetæ & pictores in id ſtudent, vt deſcribere tabulas menſuris ac lineis ſciant. Cicero, Nihil aliud ſtudent.

Dicimus autem etiam, medicor morbum.

Hoc vertitur illi vitio. Datur crimini. Datur laudi.

Pręſto illi: Apud Terentiū, Homo homini quid præſtat? Præſto illū: apud Virgiliū, Ibo animis cōtrà, vel magnū præſtet Achillē. Sed hoc rarius.

QVARTA REGVLA.

Verbo EST, habēdi ſignificatione vtimur cum datiuo: vt,

Eſt mihi nanque domi pater, eſt iniuſta nouerca.
Tecum habita, & noris quàm ſit tibi curta ſupellex.
An neſcis longas regibus eſſe manus?

Et datiui venuſtè adduntur, qui commodum aut incommodum ſignificant: vt, Eſt mihi lucro, Eſt mihi odio. Sunt exitio rebuſpub. inteſtinæ diſſenſiones.

QVINTA REGVLA.

Duos accuſatiuos pauca quædam actiua adſciſcunt, eáque vocant Grammatici tranſitiua, quòd tranſmigret in duos accuſatiuos actio: vt, Doceo te literas. Poſco te pecuniam. Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes. Interrogo te hanc rem, & de hac re.

SEXTA REGVLA.

Ablatiuos inſtrumenti propemodum omnibus actiuis verbis ſubijcimus: vt,
Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.
Naturam expellas furca, tamen vſque recurret.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.
Ferit illum gladio.

Sic copiæ & inopiæ verba: vt, Impleo poculum vino.

Induo me veſte & veſtem. Liuius, Sagunti excidium pia & iuſta nobis arma induit.

Spolio te pecunia.

Mulcto morte.
Hoc te fasce leuabo.
Leuatus febre.
Abundare præceptis.
Adficio te honore.
Luxuriant animi rebus plerunque secundis.
Culpa vacare, magnum solatium.
Conflictari graui pestilentia.
Conflictari aduersa valetudine.
Laborare ex pedibus.
Laborare febri.

SEPTIMA REGVLA.

Repellendi significationem habentia, ablatiuos adsciscunt, sed cum præpositione: vt, Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

Abstineo à vino. Horatius, Abstinuit Venere & Baccho.

Et petendi: vt, Peto abs te pecuniam.

Vtor, vescor, fruor, potior, ablatiuos adsciscunt: vt, Vtor vino, Fruor meis studijs, Potitus imperio.

Disco ab illo, & disco de illo musicam. Plautus in Pœnulo.

Et induendi verba: vt, Exuo tunicam, & Exuo hunc tunica.

Cæsar, Vallis se induebat.
Cicero, Torquem sibi induit.
Liuius, Nouum ingenium induerat.
Virgilius, Troianos exue cæstus.
Martialis, Dum mutat cultus, induitúrque togã.

Cicero, Humanitatem omnem exuisses.
Virgilius, Sic ait illachrymans, humero simul exuit ensem.
Se agro paterno auitóque exuisse.

DE PASSIVIS.

PASSIVORVM proprius casus est ablatiuus cum præpositione, ex nominatiuo actiui factus: accusatiuus proprius actiuo, in nominatiuum mutatur: vt, Lego Virgilium, Virgilius à me legitur.

Reliqui casus, actiuæ vocis verba imitantur: vt, Doceo te grammaticam, Tu doceris à me grammaticam. Nonnunquã ablatiuus in datiuum mutatur: vt, Visus mihi. pro Visus à me.

Et Græcum est, Pluribus ille notis variatã pingitur aluum. pro Variata aluo.

Deponentia, actiuorum significationem habẽt: vt, Largior tibi pecuniam. Neutrorum quæ neutraliter significant: vt, Adsentior tibi.

Adulor tibi & te, dixerunt veteres.

DE INFINITIVIS PRIMA REGVLA.

INFINITIVI adduntur verbis significãtibus sensum aut voluntatem. Græci προαιρετικὰ vocarunt: vt, Cupio te venire. Filio vxorem datum iri audierat. Memini me facere: non, fecisse.

Accusatiuus, proprius casus est infinitiuorum, præcedens infinitiuos, & exponitur per nomina-

tiuum,adiecta particula quòd. Aiunt probos adolescentes deprauari consuetudine malorum. id est aiunt quòd probi adolescentes deprauentur consuetudine malorum.

SECVNDA REGVLA.

Infinitiui adduntur nominibus adiectiuis facultatem significantibus: vt, Difficile est efficere. Soli cantare periti.
Amor sceleratus habendi.

Casus sequens infinitiuum ESSE, cõuenit cum proximo nomine præcedẽte: vt, Illi licet esse ꝓbo. Rarius est, Illi licet esse probum.

De Gerundiis.

GENITIVI casus gerundia sequuntur nomina substantiua facultatẽ significantia: vt, Occasio emergendi. Gratia discendi, Athenas missus. Tempore creuit amor qui nunc est summus habendi.

Græcismus est, Infinitiuo verbo vti pro gerundio: vt, Nunc est tempus dicere quæ sentias. id est tempus dicendi quæ sentias. Et Terentius,
Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Vt animũ ad aliquod studium adiungãt: aut canes
Alere. Nam hîc infinitiuus regitur à voce studiũ: vt sit, ad studium alere, pro, ad studium alendi canes, alendi equos, eundi ad philosophos.

Accusatiui casus gerundia, præpositione anne-

ctuntur verbis: vt, Mitto illum ad ſpeculandum arcem. - inter agendum
Occurſare capro.

Caſus ablatiui gerundia ſequuntur verba, vel cū præpoſitione, vel ſine præpoſitione: vt, Omnia conando, docilis ſolertia vicit. Frigidus in pratis cātando rumpitur anguis. Explicatur, dum cantas. Cantando tu illum? Ratio bene ſcribendi, cum loquendo iuncta eſt.
Non ſum ſoluendo, peculiaris figura eſt.

Adſciſcunt autem gerundia caſus verborum ἀναλογικῶς: vt, Gratia ſalutandi amicos, domum redij. Sed Latini eandem ſententiam efferunt per participium: vt, Gratia ſalutandorum amicorum, domum venio. Et, Ad ſpeculandam arcem miſſus eſt eques. pro, ad ſpeculandum arcem. Et, ſalutandi amicos.

Et hîc rixantur Grammatici, vtrum gerūdia recipiant caſus: an ſit gerundium, Salutandorum amicorum, domum venio. Rectius autem eſt, meo iudicio, & ad captum puerilem accommodatius, docere quòd gerundia fiant participia, quando nō regunt caſus ſuorum verborum. Cum dico, ſalutandi amicos: ſalutandi, hîc gerundium eſt, ſignificationis actiuæ: quia regit caſum verbi actiui, ſicut Saluto amicos. Cum dico Salutandorum amicorum, hîc Salutandorum participium eſt paſſiuæ ſignificationis.

Veteres vſi ſunt quadam figura. vt apud Terētium, Creſcendi nouarum. Et apud Plautum, No-

minandi iſtorum magis, quàm edundi copia eſt. pro, nominandorum iſtorum. Hæc figura propemodum Græcum quiddam habet.

DE SVPINIS.

ACTIVE ſignificant Supina priora, & caſum verbi ſui adſciſcunt. Coniunguntur autem cum verbis ſignificantibus motum ad locum. Venio ſalutatũ amicos, ſignificatio infinitiui eſt. ſignificat enim Venio ſalutare amicos, & Venio ad ſalutandum amicos.

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Iret quæſitum.

Poſteriora ſupina ſignificāt paſſiuè, & conſtruũtur cum adiectiuis facultatem ſignificantibus: Facilis viſu, id eſt videri. & cum verbis motum de loco ſignificantibus.

Turpe quidē dictu eſt: ſed, ſi modo vera fatemur,
Vulgus amicitias vtilitate probat.

Cato, Primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitum eat. Plautus, Obſonatu redeo. Nullus autē his caſus præponitur.

MERCANDI VERBA.

PRETIVM ablatiuo caſu effertur ſine præpoſitione: vt, Emo Homericum codicem duobus aureis.

Virgilius, Vendidit hic auro patriam.

Leges pretio fixit & refixit.

Ariſtoteles libros pauculos Speuſippi Philoſophi poſt mortem eius emit talentis Atticis tribus.

Ea ſumma fit pecuniæ noſtræ mille & DCCC. coronæ Gallicæ.

Hæ voces Tanti, quãti, pluris, minoris, ſine ſubſtantiuis adijciuntur verbis mercandi:

Cicero, Non vendo pluris quàm alij, fortaſſe etiã minoris. Iuuenalis, Chryſogonus quanti doceat, vel Pollio quanti. Suetonius, Quãti funus & pompa conſtaret.

Sic, Magni æſtimo, magni facio, parui æſtimo, parui facio, magni pendo, & parui pendo. Catullus, Vnius æſtimemus aſſis.

Et cum verbo Sum: Eſſe quantiuis pretij.

Non tamen dicimus, Emi magni, aut parui, aut emi maioris pretij: ſed Emi paruo, magno, maiore, minore pretio.

Virgilius, -haud illi ſtabunt AEneia paruo Hoſpitia. Liuius, Multóque ſanguine & vulneribus ea Pœnis victoria ſtetit.

Plautus, Nimio emptæ tibi videntur.

Varro, AEdificantur magno, implentur magno.

Terent. Redimas te q̃ minimo, aut quanti queas.

Eſt in vſu etiam, Magno æſtimo:

Cicero, Glorioſa ſapientia non magno æſtimanda eſt. Suetonius, Nec tulerat tam moleſtè, tam magno æſtimari honorem cœnæ ſuæ.

Seneca, Data magno æſtimas, accepta paruo.

Sic &, Quãto pretio emiſti? Minore pretio emi, locaui.

Nam cum accedunt ſubſtantiua, hæ quoque voculæ migrant in ablatiuos.

Huc pertinet verbum Valeo:
Mina valet decem coronis Gallicis.
Sic Plinius loquitur:vt, Scrupulum valebat ſeſtertijs vicenis.

Temporis prima REGVLA.

ABLATIVO nomina temporis efferũtur, cum non ſignificamus durationem. vt Cicero, Superioribus diebus veni in Cumanum. Quis his proximis diebus Pontifex factus eſt? AEſtate adulta.
Puncto temporis rerum momenta vertuntur.
Paucis diebus eram domeſticos tabellarios miſſurus.
Triduo, aut ad ſummum, quatriduo periturum.
Plinius, Omnia plenilunio maria purgantur.
Iuppiter exiguo tempore inermis erit.
Exacto menſe redijt.
Quadriennio pòſt virili toga ſumpta.
Longo pòſt tempore venit.
Nec vnquam plus triduo fuit. Nec dicitur, Superiores dies veni in Cumanum.

Nec ſecutus eſt analogiam Terẽtius cum dixit, Interea mulier quædam abhinc triennium, ex Andro commigrauit huic viciniæ.
Hæc duo, græciſmi: Triennium, pro triennio: &, Huic viciniæ, pro, in hanc viciniã. Nam trienniũ,

hîc non significat durationem, sed factum quod semel cecidit ante triennium.

SECVNDA REGVLA.

Accusatiuus est frequentior, cum durationem significamus, seu continuum tempus:
-vna cum gente tot annos
Bella gero. Tercentum totos regnabitur annos. Annum audiētem Cratippum. Tertium iam annum & vicesimum regnat. Natus decem annos. Non plus triduum, aut triduo.

TERTIA REGVLA.

Et præpositiones accedunt. In paucis diebus, & Paucis diebus. De die epulari. &, die.
Surgunt de nocte latrones. &, nocte.
Est in diem quod promittis, nec aliter.
Peto vt commodes in vnum mensem. Vt sit in annuum sumptum. Tribunitiam potestatē in quinquēnium accepit. Annos ad quinquaginta natus. In aliud tēpus expectare te velim. *A ung aultre temps.* Vt in reliquum omnes suspiciones vitet. Veniam tertio Calendas, & ad tertium Calendas, & tertio Calendarum.

MENSVRAE ET SPATIA.

MENSVRARVM casus, accusatiuus est: vt, Muri ducenos pedes alti. Plinius scribit effossam herbam Moly radicis longæ triginta pedes.
Asseres non plus spatium habentes pedes binos. Ne plus pateant palmam. Plinius de Mausoleo,

Patet ab Auſtro & Septentrione ſexagenos ternos pedes.

Nonnunquam comparatiui conſtructio obſeruatur:vt,

Tota cohors pede nō eſt altior vno.

Nucleus craſſus ſex digitis.

Et per genitiuum.de Auguſto, Statura quinque pedum,& dodrantis fuit.

Plinius,Murrhino capaci ad ſextarios tres.

Eſt & ſpatiorū accuſatiuus. Cicero, Abeſſem ab Amano iter vnius diei. Cæſar,Herciniæ ſyluæ latitudo nouem dierum iter expedito patet.

Tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas. Liuius,Caſtra ab vrbe haud plus quinque millia paſſuū locāt.Cum tridui viā proceſſiſſet,nec paucorū dierum iter abeſſet. Cæſar, Cum ab hybernis Ciceronis millia paſſuum quinquaginta abeſſet.

Neque longius millia paſſuum octo ab hybernis ſuis abfuiſſe.

Adiecit verbo ABESSE ablatiuum Virgilius,

Nec longis inter ſe paſſibus abſunt.

DISTAT cum accuſatiuo:

Sulmo mihi patria eſt gelidis vberrimus vndis,
Millia qui nouies diſtat ab vrbe decem.

Cum ablatiuo:

Iugeribúſque nouem ſummus qui diſtat ab imo.

Non diſcedere latum digitum.

Loca.

N OMINIBVS regionum præpositiones ſicut & appellatiuis addũtur, ſiue verbo in loco, ſiue de loco, ſiue ad locum ſignificãtibus adijciãtur: vt, Fronſpergius duxit exercitum in Italiam. Gallus in Italia dominari cupit. Gallus ex Italia profectus eſt.

Sic & Venio in vrbem, Proficiſcor ex vrbe.

Figuratum eſt apud Virgilium,

Italiam fato profugus, Lauináque venit
Littora. Dicimus recte Arceo hoſtem Italia, ſicut Arceo vrbe hoſtem.

VRBIVM NOMINA.

I.

I N loco eſſe, ſignificant genitiuo caſu, in prima & ſecunda declinatione, numero ſingulari: vt, Sum Romæ, &, Sum in vrbe Roma.

Tarenti degit Archita, qui ligneam columbam volatilem fecit.

Lutetiæ frequentiſſima ſchola eſt.

In declinatione tertia ablatiuo vtimur: quibuſdam etiam datiuus placet.

Sum Carthagine, & Carthagini.

Plurali numero ablatiuo vtimur: Delphis Apollo oracula reddebat.

II.

Accusatiuus semper ad locũ significat. Noctuas Athenas. Proficiscor Romam. Confero me Vuitembergam, capiendi cultus ingenij causa.

III.

Ablatiuus semper de loco, & per locum significat: Rediit Carthagine Regulus.

Hàc iter facio, significat per locum. Semel atque iterum inuenias additas præpositiones. Cicero, Venit ad Messanam. Sic dicimus, Sum domi, Eo domum, Venio domo. Et adiectis casibus: Cicero, Malo esse cum timore domi meæ, quàm cum periculo domi alienæ.

Et, Sũ ruri, eo rus, venio rure, serpo humi. cuius accusatiuo nõ vtimur hac forma, Labitur humum. Ablatiuo vtimur, Tollitur humo. Virgilius.

Belli & Militiæ genitiuis tantum localiter vsi sunt. Apud Terẽtium, Vnà semper militiæ & domi fuimus.

NVMERI.

ORDINEM significant, Primus, secundus, &c. & interrogatio, quotus. Sed numerũ, Vnus, duo, tres, &c. & interrogatio, quot. At numeri distributionem: vt bini, terni, quaterni, quini, seni, septeni, octoni, noueni, deni, viceni, triceni, quadrageni. Bini, *deux a deux*.

REGVLA.

Ergo interest cum dicimus, Decem aurei militibus dati sunt, & Deni aurei militibus dati sunt.

Nam decem aurei militibus dati ſunt,ſignificat totam legionem ſimul accepiſſe, non ſingulos. Sed deni aurei ſignificat ſingulis eſſe datos decem aureos,vt Galli dicunt,*dix eſcus a chaſcun*. Liuius,Conſules binas legiones ſcribere iuſſi,*chaſcun deux*. Liu. Decadis 4.lib.1, Binis æris in modios populo diuiſerũt.quod & ſic dici poterat, Singulos modios duob⁹ aſſibus diuiſerũt.Cæſar,Ad denarios quinquaginta in ſingulos modios annona peruenerat. Liuius, In ſingulos pedites dati octingenti æris. Idem,Militibus qui currum ſecuti ſunt, centenos vicenos quinos aſſes diuiſit. id eſt,ſingulis centũ quinque & viginti aſſes.Suetonius,Congiaria populo frequenter diuiſit, ſed diuerſæ ferè ſummæ, modo quadragenos, modo tricenos, nonnunquã ducenos quinquagenos nummos.

Sed inuenias etiam, cum diſtributiuis vſi ſint, adieciſſe nomẽ SINGVLI:id opinor præter analogiam fieri,& rarum eſt. Liuius,Singulis centena millia.

Poetæ diſtributiuis aliquãdo abuſi ſunt.vt Virgilius,Septeno gurgite:pro Septem gurgitibus.

Pluralem tamen exigunt diſtributiua nomina: vt,Binæ literæ:pro duabus epiſtolis.

Ordinis nominibus ſic vtimur. Cicero, Tertio quoque die. *De trois iours en trois iours.*

De imperſonalibus.

PASSIVAE vocis imperſonalia, ab omnibus verbis tum actiuis, tum neutris cadunt. Conſtructio prorſus imitatur regulam paſſiuorum: præterquam quòd nullus nominatiuus præcedit, nam ideò dicuntur imperſonalia: vt, Luditur de tuo corio.
Itur ad me, quoniam nemini obtrudi poteſt.
In diem viuitur.
Benefit multis à principe.
Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.
Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

Accuſatiui proximi actiuorum, nō poſſunt imperſonalibus ſubijci, apud Latinos. Neque enim rectè dicitur, Legitur Virgilium. At Gallica figura vſi ſunt, (*On lit Virgile*) & Græci, ἀναγινώσκεται τὸν πλάτωνα.

Actiuæ vocis imperſonalia, alia alios caſus adſciſcunt. Quanquam autem perſona videatur incerta, quia deſunt nominatiui: tamen obliqui perſonam definiunt. Quare imperſonalia ſic ordiuntur ſententiā vt perſonalia, ſi dicas, Principē oportet potius conſulere publicæ ſaluti, quàm priuatis affectibus morem gerere. Hic accuſatiuus cum verbo perinde inchoat ſententiam, & certam perſo-

nam designat vt nominatiuus cum verbo,si dicas, Princeps debet potius consulere publicæ saluti, quàm priuatis affectibus morem gerere.

Pleraque autem verba, personalia alioqui,constructione in impersonalia degenerant.

PRIMA REGVLA.

Est, interest,refert,personam genitiuo designãt, & sequuntur ferè infinitiua, aliàs cõiunctiua,cum particula VT,aut particulis interrogatiuis.

Boni pastoris est tondêre pecus,non deglubere.
Non est sapientis viri dicere, non putaram.
Reipub.refert conseruari literas. &,vt conseruentur literæ.
Principis interest authoritatem publicarum legũ saluam & incolumem conseruare.

EXCEPTIO.

In aliquot pronominibus à regula discedimus. Nam mea,tua,sua,nostra,vestra ablatiui adijciuntur verbis refert & interest. Tua refert adesse. Et Cicero,Permagni interest tua,an redditæ sint literæ. Vbi obseruabis & genitiuũ adijci (permagni)

Grammatici adfingunt ridiculam rationẽ, cur horum pronominum ablatiuis vtamur. nam cum hæc verba significant pertinere, rectè dici putant, Mea interest, quasi in re mea est: & Refert, quasi res mea fert.

Sallustius, Refert mea mihi atque vobis timere.

Verbo EST,adijcimus meum, tuum,suum, nostrum.vt, Meum est iniuriam non adferre: tuum est illatam mussitare.

SECVNDA REGVLA.

Datiui perſonam his verbis addunt, ſequũtur ferè infinitiui: Libet, licet, patet, liquet, conſtat, placet, expedit, prodeſt, obeſt, nocet, ſufficit, vacat, accidit, conuenit, & ſimilia quædam: quæ, quanquã perſonalia ſunt, tamen conſtructione migrant in hunc ordinem:

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

TERTIA REGVLA.

Accuſatiui perſonam his verbis addunt, ſequuntur infinitiui: Iuuat, oportet: vt, Principem oportet pati legem quam condidit. Decet: ſed hoc ſæpius actiuè vſurpatur: vt, Secundas res decent ſuperbiæ. Et cum datiuo antiqué: Ita nobis decet. Terentius.

QVARTA REGVLA.

In quarto ordine imperſonaliũ παθητικὰ ſunt, quæ præcedunt accuſatiui, ſequuntur genitiui.
Pœnitet. Cicero, Pœnitet eum ſenectutis ſuæ.
Noſtri noſmet pœnitet. Piget. Tædet. Salluſtius,
Me ciuitatis tædet, morúmque piget.
Pudet, Pudet me negligentiæ meæ.
Miſeret amicum calamitatis.

Adnumerant imperſonalibus, Debet, cœpit, incipit: vt, Debet adoleſcentiam pœnitere peccati. Et Aiunt, Solent, ſine perſonis efferũtur, quæ tamen inter imperſonalia nolim numerari. Nam omiſſio perſonæ figurata eſt, ſicut in verbis, pluit, tonat, vbi κατ' ἔλλειψιν diſſimulatur nominatiuus, Aer tonat, Homines aiunt.

De Participiis.

P ARTICIPIA imitãtur verborũ ſuorum conſtructionẽ: vt Legẽs Virgiliũ. Degenerãt autem in nomina cum verborum caſus amittunt:vt Fugitans litium.

Duo ablatiui coniunguntur deſignantes conſequentiam,alter participij,alter nominis. Explicari autem poſſunt per particulã C V M:vt,Imperante Maximiliano , Veneti grauiter afflicti ſunt. id eſt,Cũ imperaret Maximilianus. Dicimus ad hũc modũ,Imperatore Maximiliano, Imperatore Carolo, Galli ad Mediolanũ magna pugna victi ſũt à Germanis.

Et vſurpãtur participia pro infinitiuis:vt Opus eſt maturato,pro maturare. Opus eſt facto,pro facere. atque hæ figuræ ex Græcis aoriſtis natæ eſſe videntur.

De Aduerbiis.

A DVERBIORVM naturã expoſuimus in Etymologia. Subijciuntur verbis ad explicandas circunſtantias locorũ, temporum,& ſimiles.

PRIMA REGVLA.

Nomina degenerant in aduerbia apud Latinos ſingulari numero: vt, Horrendum clamat. apud

Græcōs,plurali numero,ídq; Latini imitati ſunt. vt Virgilius, - nec ſera comātem Narciſſum: pro, ſero comantem ſeu florentē. Narciſſus enim poſtremus omnium florum circiter Septembrē primum floret, vt ſcribit Theophraſtus. Galli vocāt *Narciſſe*.

SECVNDA REGVLA.

Non ſubijciuntur caſus nominum aduerbijs, præter pauca, Pridie, Poſtridie: de quibus dixi in Etymologia.

De Cōiūctione.

CONIVNCTIO aut ſimiles caſus cōiungit:vt Amat & potat puer. Virgilius & Cicero ſunt principes Latinæ linguæ. Nox & amor, vinúmq;, nihil moderabile ſuadēt.

Aut orationem nouam ſuperiori adtexit:vt,
Neſcia mens hominum fati,ſortíſque futuræ,
Et ſeruare modum,rebus ſublata ſecundis.
Rari quippe boni,vix ſunt numero totidē,quot
Thebarum portæ,vel diuitis oſtia Nili.

Eſt autem coniunctionum natura diligēter obſeruanda. Quia enim colligant velut articuli orationem,magnum vitium eſt aliqua voce in connectendo abuti. Nam obſcura & monſtroſa fit oratio,ſi confundantur hæ particulæ: vt mōſtroſum corpus erit,ſi iugulus in tergo collocetur, ſcapulæ in pectore.

VT, coniunctio caufalis, adfcifcit cõiunctiuum. fi præfens verbum præcedat, præfens coniunctiuum erit: vt Iubeo vt facias. Si præteritũ verbum præcefferit, erit coniunctiuum prȩteritum imperfectũ: vt Iuffi vt faceres. Significat autem aliquando tempus, Vt vidi vt perij: id eft, poftquam vidi. Quo in loco Virgilius Græcos imitatus eft repetita coniunctione. Significat & quo modo, Troianas vt opes & lamentabile regnum. Significat & quàm, Vt ferus eft! quàm ferus eft. Defignat & fimilitudinẽ, Vt mores funt, ita fortuna refpondet. Et fuperlatiuo cognata eft, Vt quifq; optimè Grȩce fciret, ita effe nequiffimũ. Et imprecatiuum eft, Vt illum dij, deǽque omnes perdant. Et quanuis, Vt defint vires, tamen eft laudanda voluntas.

In coniunctionibus diligenter obferuentur hæ quæ circunductiones efficiunt, hoc eft, quæ duo κῶλα coniungunt, vt fi, cum, quanquã, & fimiles.

Præpofitiones.

PRAEPOSITIONES addũt circũftantiã verbis, tãquã articuli. Aliæ autẽ accufatiuos, aliæ ablatiuos requirũt. Hãc regulam recitent in conftruendo pueri. verum ex Etymologia difcere debebunt quæ præpofitiones requirant accufatiuos, quæ ablatiuos.

Addendum eſt & hoc præceptum, Quòd præpoſitiones mutãt conſtructiones verborum. addunt enim verbis ſuum caſum: vt, Adeo patrem: pro, Eo ad patrẽ. Nam (eo patrem) nõ dicitur. Et Latini libenter repetunt præpoſitionem. Accedo ad pediſequam.

Interiectiones.

HEI datiuum adſciſcit: Hei mihi qualis erat. Heu accuſatiuum: Heu ſtirpem inuiſam. & nominatiuũ: Heu pietas, heu priſca fides. Proh Iuppiter, proh deûm, àtque hominum fidem.

REGVLA.

Exclamationes ferè per infinitiuũ & accuſatiuum efferuntur: vt, Adeóne eſſe inuenuſtum quẽquam vt ego ſum?

In hunc modum ſæpe querelæ per accuſatiuos & infinitiuos efferuntur, quos pueri in interpretãdo reſoluere debẽt in indicatiuos. vt Virgilius,

- ſic omnia fatis
In peius ruere, & retro ſublapſa referri.

Id ſic eſt interpretandum: Sic omnia ruunt fatis in peius, & retro ſublapſa referũtur. Et tamen addit infinitiuus affectum quendam, quaſi dicas, Miſerabile eſt ſic omnia ruere in peius.

De Periodis.

INTER alias peſtes rei literariæ, planè cōperi præcipuam eſſe, quòd in ludis literarijs rari admodū Grāmaticas præceptiones docent. Idque fieri video aliàs inertia præceptorum, quos laboris piget. Nam quia ſubaſperæ ſunt præceptiones, nō ſine negotio ad eas diſcendas pueri perpelluntur. Alios pudet in re, quæ nihil habet oſtētationis, verſari. Ita fit vt vix vnquam, neglectis his primis literarum elementis, pueri ad frugem perueniant. Sed enim egregiam operam nauare mihi videntur, qui ad præceptiones ediſcendas diligenter accuratéque pueros adſuefaciunt. neque enim aliter aut recte intelligent aliena ſcripta, aut tutò loqui audebunt ipſi. Et in Syntaxi prodeſt exigere, vt non modo diſcant quid cur cohæreat: ſed numerent etiam ordine vocabula, quæ ad perfectam ſententiam efferendam requiruntur.

Orditur ſentētiam Nominatiuus, aut quod vice nominatiui fungitur. hunc proximè ſequitur Verbū finitum. deinde adijcitur Obliquus: alicubi & aduerbia: & adtexunt ſæpe plura nomina, præpoſitiones: ſæpe aut integra commata, aut verba ſingula, coniunctiones. Hunc ordinem verborum in interpretando vtile eſt à pueris exigere, vt animaduertant quot voces ſententiam abſoluant,

quo modo ſingulis nominibus ſingula verba reſpondeant. Sed has nugas fortaſſe pædagogus aliquis faſtidiens, me delyrare clamabit, qui hanc ſuperſtitioſam diligentiam flagitem: præſertim cum ſermo ſit liberior, nec huiuſmodi collocationẽ vocum requirat. Ego verò in ſermone non requiro hanc puerilem ſtructurã, in quo veterum conſuetudinem imitari compoſitio debet: ſed in interpretando cenſeo adiuuari infirma puerorum ingenia, ſi ad hunc modum quem præſcripſi, vocabula ſigillatim enumerẽtur. Vix enim fieri poteſt vt peruideat puer ſententiam longiuſculæ periodi, niſi velut per ſcalarum gradus, ordine per ſingulas partes periodi, ad extremam progrediatur. Sæpe in oratione ἀναντα‍πόδοτα quædam relinquuntur, & mutila, quæ deprehendentur hac ratione facillimé.

Saxa vocant Itali medijs quæ in fluctibus aras,
Dorſum immane mari ſummo.

Rectius intelligetur, ſi hoc modo recenſeantur ſingulæ partes orationis, Quæ ſaxa in medijs fluctibus Itali vocant aras. & cohæret adpoſitioni; aras, quæ ſunt dorſum immane ſummo mari, id eſt, eminent ſummo mari.

Sunt autem ſtatim etiam docendi pueri, ex quibus partibus integra periodus conſtet. quia enim veteribus placuiſſe videmus ſententiarum membra περιοδικῶς contexere, nõ eſt ea ratio à nobis negligenda: eáque diligentia ſæpe ad copiam ſermonis conducit. Nam cũ circunductionibus vti-

mur, ſæpe cauſam præponimus, ſæpe antitheſin facimus,ſæpe cōparationem:quæ ornamenta reddunt ſermonem vberiorē.Sic ex comparatione,facta eſt periodus à Cicerone pro domo ſua, Cum multa Pontifices à maioribus noſtris diuinitus inuenta atque inſtituta ſunt, tū nihil præclarius, quàm quòd vos eoſdem & religionibus deorum immortalium,& ſummæ Reipublicæ præeſſe voluerunt.Deinde adiecit cauſam: vt ampliſſimi ciues Rempub.bene gerēdo,pōtifices religiones ſapienter interpretando,Remp.conſeruarēt.Fit autem periodus ex commatis,& colis. Commata Cicero vocat inciſa:ſunt enim imperfectę orationes, κῶλα, membra ſunt, & in longa circunductione penè perfectæ orationes: vt κῶλον eſt,Cum multa pōtifices,à maioribus noſtris diuinitus inuēta, atque inſtituta ſunt. Aliud κῶλον,Tū nihil præclarius, quàm quòd vos eoſdem & religionibus deorū immortalium, & ſummæ reipublicæ præeſſe voluerunt.Tertium κῶλον,Vt ampliſſimi ciues Rempublicam bene gerendo, pontifices religiones ſapienter interpretādo, Rempub. conſeruarent.Sed partes colorū, commata ſunt: vt Inuenta atque inſtituta ſunt, & religionib9 deorum immortalium,& ſummę Reipub.præeſſe.Poterat ſimpliciter dicere Cicero, Bene inſtitutum eſt, vt ijdem præſint religionib9 & ſummæ Reipub.Sed ſonus orationis grauior fit, cum accedit collatio: item in fine cauſa.

Sequitur in eadē oratione alia period9 ex colla-

tione facta: Quod si vllo tempore magna causa in sacerdotum Pop. Rom. iudicio ac potestate versata est. id est primum κῶλον. hęc profecto tãta est, vt omnis reipub. dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, aræ, foci, dij, penates, bona fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatíque cõmissa, creditáque esse videantur. id secundum κῶλον est. κόμματα sunt, omnis reipub. dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, &c.

De Prosodia.

Prosodia, adcentus syllabarum est.

Syllabarum aliæ lõgæ, aliæ breues, aliæ ancipites sunt. longæ –, vt stirps: breues ∪, vt ĕs.

Pes, est aliquot syllabarũ constitutio, vt ămānt.

Versus est legitima compositio pedum.

Multas habet vtilitates consuetudo scribendi carmen. magnam enim copiam verborum & figurarum, & quandã, vt Quintilianus appellat, sublimitatem orationi solutæ etiam adfert. Neque potest fieri, vt omissa exercitatione scribendorum versuum, tolerabiliter scribamus solutam orationẽ. Atque eius rei plures sunt causæ, quàm vt hîc recitari possint. Adigant igitur præceptores pueritiam ad hanc exercitationem summa cura. Statim enim pueri innumerabiles vtilitates sentient se inde percipere.

REGVLA DE SYLLABIS PRIMA.

Poſitio omnis longa eſt. Eſt autem poſitio cum ſequūtur duæ cōſonantes vocalem, vt Arma, ille. Aut duplex conſona, vt axis.

Exceptio.

Liquida cum muta coniuncta, ſyllabam ancipitē facit, vt intēgri media producta, & íntĕgri media breui. Quanquam ſi vocalis longa ſit, corripi propter liquidam ſyllaba non poſſit: vt à ſimulāre, ſimulācrum perpetuò longum eſt.

SECVNDA.

Vocalis ante vocalē corripitur, vt Delicĭæ, Italĭa.

Exceptio.

Aer. Virgilius,

Nec gemere āeria ceſſabit turtur ab vlmo.

Fio longū eſt: at in polyſyllabis fit breue, Fĭeri fĭerem.

Græcorū eſt tanta varietas, vt propemodū regulis comprehēdi nō poſſit. Cæterū ea vis eſt huius regulæ, vt etiā longæ ſyllabæ in fine dictionū corripiātur ſequēte vocali, *χρέιωσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηι*. Et apud Latinos in compoſitione, Sudibúſve prăuſtis.

III.

Diphthongus omnis longa eſt, vt AEolus & clauſo ventorū carcere regnat. Inuenias etiā correptā in compoſitione ſequēte vocali: vt, Sudibúſve prăuſtis: vbi Græca imitatione correpta eſt.

IIII.

Præterita diſſyllaba habent priores longas: vt

līqui,fūgi,vēni,fēci,lēgi,cūdi,ſiui.

Excipe habentia breues penultimas: Dĕdi, circundĕdi: Tŭli,attŭli:Stĕti,aſtĭti:Bĭbi,ebĭbi:Scĭdi, reſcĭdi.

Excipe item quæ duabus vocalibus finiunt: vt rŭi.Obſeruabis item figuras ii ab iui.

V.

Supina diſſyllaba habent longas priores:vt Lūſum,cūſum,fūſum,crētum,vīſum.

Excipe habētia breues penultimas: Dătum,ſtătum,ĭtum,quĭtum,ſĭtum, lĭtum,cĭtum à cieo,ſătum,rŭtum. Et compoſita à noſco,agnĭtum, cognĭtum.

Lŭtum breue eſt,ſed eius deriuata lõgas penultimas habent,vt pollūtum,dilūtum. Perſius ſatyra tertia,

Dilūtas queritur geminet quòd fiſtula guttas.

VI.

Deriuatum ſequitur ſuæ originis, ſeu thematis naturã:vt,Lĕgo,lĕgerē,lĕgam:primę ſunt breues. Lēgi,lēgiſſē,lēgerim:primę lõgæ. Stō,ſtārē,ſtēm: prima lõga.Stĕti,ſtĕtiſſem, ſtĕtero: prima breuis.

VII.

Præpoſitiones in compoſitione magna ex parte ex regulis generalibus cognoſcuntur.

LONGAE SVNT

Rēfert,pro vtile eſt.

Solet itē extendi,adiecta cõſonante, Rēttulit, Rēpperit, Rēlligio.

PRAE longa eſt.
DI longa eſt,præter dĭrimo & dĭſertus.
DE longa eſt.
CO longa eſt,ſequente conſona, Cōgo.
Sed PRO breuis eſt,quādo habet ſignificationem particulæ procul: vt Prŏfugus Lauináque venit. Et apud Propertium,
Magnū iter ad doctas prŏficiſci cogor Athenas.
Aliàs PRO longa eſt, quando Latinæ præpoſitionis naturā retinet:vt prōduco,prōpono:vt Horatius,Signatū præſente nota producere nomen.

DE VLTIMIS SYLLABIS.

Vltimæ ſyllabæ ferè ex declinationibus & coniugationibus cognoſcuntur:vt Dominī,dominō, amās,docēs,legĭs,audīs. Tamen ordine literarum quantæ ſint,indicabimus.

A.

Nomina in a,in prima aut tertia declinatione: Itē pluralia neutra,breuia ſunt: vt Armă virúmque cano. Muſă mihi cauſas memora.

Ablatiui in prima declinatione longi ſunt: vt, Europā atque Aſiā pulſus.

Verba ex ſuis coniugationibus cognoſces.

Cætera longa ſunt,vltrā,fruſtrā.Item numeralia,Trigintā,quadragintā,&c.

E.

Aduerbia in e,facta ex nominibus ſecundæ declinationis,producuntur:vt bellē,pulchrē,doctē. Sic & ferē & hodiē.
Qui non eſt hodiē,cras minus aptus erit.

Penĕ, breuem habet vltimam. Ouidius,
Penĕ ſimul perijt, dum vult ſuccurrere lapſæ.
Sic & ritĕ. Virgilius,
Ritĕ ſecundarent viſus, ominénque leuarent.
Breues habēt vltimas & pleraque alia non facta ex nominibus: vt Spontĕ, antĕ, manĕ, ſæpĕ, eugĕ, agĕ, nempĕ.
Græca ex vocalibus illorum agnoſci poſſunt, εὐτέρπη. Et coniugationes docēt quanta ſint imperatiua, Docē, valē, legĕ, ſcribĕ. Verum inuenias contra regulā alicubi valĕ, breue feciſſe Ouidium,
Idque quod ignoti faciunt, valĕ dicere ſaltem.
Et cauĕ apud Horatium,
Viue, vale: cauĕ ne titubes, mandatáque frangas.

I

In i deſinentia producuntur. Præterita, vt legī. Datiui, vt ſortī. Nominatiui, vt dominī.
Indifferentia ſunt, mihi, ſibi, tibi, ibi, vbi.
Et Græca breuia. Ouidius,
Nunc Parĭ tu ſapiens, & tu Menelae fuiſti.

O

In o deſinentia ſunt indifferentia, vt ſcribo.
Datiui & ablatiui producuntur.
Gerundia etiam indifferentia ſunt.
Græca ex vocalibus cognoſci poſſunt, vt Sapphω.

V

V longum eſt, vt genū.

C

Longa ſunt, dīc, dūc, fāc, ſīc.
Hic pronomen, indifferens eſt.

Hīc aduerbium, longum.
Breuia sunt, Lăc, nĕc, donĕc.

A S.

Longa est, vt Maiestās.
Accusatiui Græci breues sunt,
Troadăs, Pleiadăs.
Et nominatiui,
Quattuor Autumnos Pleiăs orta facit.

E S.

Pleraque omnia longa sunt, vt fidēs, diēs.
Breuia sunt masculina, quibus genitiui crescūt, vt milĕs: Aut duri milĕs Vlyssi.
Græca breuia, vt Troadĕs, Ante tibi Eoæ Atlātidĕs abscondantur.
Es, breue est. Martialis,
Tu quod ĕs in populo, quilibet esse potest.

I S.

Is breue est, vt ignĭs, dicitĭs.
Datiui producuntur, vt quīs pro quibus, diīs, bonīs.
Breue est bĭs. Statius,
Læta bĭs octonis accedat purpura fastis.
Līs longum est,
Līs est cum forma magna pudicitiæ.
Vīs, sīs, longæ sunt. Ouidius,
Tantáque commoti vīs est Aquilonis, vt altas.
Quanuīs, longum est.
Coniunctiua futura aliàs corripiūtur, aliàs producūtur. Horatius, Dixerĭs egregie. Et Iuuenalis, Si dixerĭs æstuo, sudat. Horatius, Miscuerīs elixa

ſimul. Inde & longæ fiunt ſecundæ perſonæ plurales dederītīs penultima longa, quo accentu tamen nō ſolemus in oratione ſoluta vti: poetæ videntur vti coacti, quia tot breues ſyllabas nō recipit verſus Heroicus.

OS.

Os longum eſt, bōs, ōs oris. Os homini ſublime dedit. Dominōs.

Græca ferè breuia ſunt.

Et breuia ſunt ŏs oſſis, compŏs.

VS.

Vs breue eſt, vt tempŭs.

Produc fœminina quæ creſcunt genitiuis, vt tellūs, ſalūs, palūs, &c.

Breue fecit Horatius Palŭs:

Regis opus ſterilíſve diu palŭs, aptáque remis.

L, N, R, T;

Breuia ſunt. Sed Græca pleraque lōga ſunt. Titan, Pæan, Syren, Hymen. Et Ren, Splen. Quin.

Longa ſunt, Fur, vt Fur es, ait Pedio. Ver, Aer, Par.

Et Græca, character, crater.

Hactenus diximus quaſdā ſyllabas lōgas, quaſdam breues eſſe. Nunc de complectendis ſyllabis dicemus.

Pedes.

Pes, eſt ſyllabarum conſtructio.

Pyrrhichius ∪∪ Dĕŭs.

Spondæus – –	Frāudī
Trochæus – ∪	Frāudĕ
Iambus ∪ –	Dĕō
Dactylus – ∪∪	Cōmmŏdŭs
Anapæstus ∪∪ –	Dŏmĭnō
Tribrachus ∪∪∪	Dŏmĭnŭs
Molossus – – –	Cōmplēxō
Amphibrachus ∪ – ∪	Rĕlēctŭs
Amphimacrus – ∪ –	Dīxĕrās
Proceleusmaticus ∪∪∪∪	Hŏmĭnĭbŭs
Choriambus – ∪∪ –	Hīstŏrĭæ.

DE HEROICO CARMINE.

Metrum, est pedum complexio.

Heroicum constat sex regionibus, seu pedibus. Heroicum dixerũt, quòd eo genere gesta regúmque ducúmque & fortia facta conscripta sunt. Vocant & ἑξάμετον.

CONSTRVCTIO HEROICI.

Arma vi-	Prima regio recipit	Spond. seu dactylũ
rúmq; ca-	Secunda	Spond. seu dactylũ
no Tro-	Tertia	Spond. seu dactylũ
iæ qui	Quarta	Spond. seu dactylũ
prim⁹ ab	Quinta recipit regulariter solum Dactylum. Rarissimus in hac regione Spōdæus est. Virgilius, Tún' ille AEneas quem Dardanio Anchisæ.	
oris.	Sexta recipit solum Spōdæum vel Trochæum: nam vltimæ sunt solutæ legibus.	

DE PENTAMETRO.

πεντάμετρον, quod quinque regionib⁹ seu pedibus constat. ἐλεγεῖαν vocant consertū cum Hexametro Pentametrum. ἒ ἒ, idem est quod heu heu. Nam Elegia, lugubre carmen olim significabat.

Nescio	Prima regio recipit Spond. vel Dactylū
quid ma-	Secunda Spond. vel Dactylū
ius	In tertia primum syllaba longa est:
nascitur	postea illi Dactylus subijcitur.
Ilia	Quarta Dactylum.
de.	Quinta vnica constat syllaba tantū: vt

Vulgus a –∪∪ miciti –∪∪ as – vtili –∪∪ tate pro –∪∪ bat ∪.

FIGVRAE HEXAMETRI.

Virgilius in prima regione peregrino pede vsus est, Anapæsto scilicet: Fluuio ∪∪– rum rex Eridanus, campósque per omnes.

Vsi sunt & in prima regione ∪ ∪ ∪ ∪ pede proceleusmatico, vt ărĭĕtāt in Canthū. Eodem προκελευσματικῷ & alia in regione vsus est Virgili⁹, A flumine rĕiĭcĕ căpellas. sed vterque locus aliter excusari potest.

In quinta regione inuenias & σπονδεῖον –– Sic costam longo subduximus āpĕnnino. sed ita velim in quarta regione Dactylum esse.

In principio tertiæ regionis, prima syllaba, cū in Hexametro, tum in Pentametro solet nōnunquam breuis esse: sed ita, si sit finis dictionis, quod Grāmatici vocāt Cæsuram: vt, Te canet agricolă magna cum venerit vrbe. Idem fit & in principio

ſecundæ regionis & quartæ,ſed rarius:vt,
Et furijs agitatus amor,& conſcia virtus:
Et canis arentĕ torreat arua ſiti.

PHALECIVM.

Eſt autem pentametron.

Secli in-	Prima regio recipit	Spondæum
cõmoda	Secunda	Dactylum
peſſi-	Tertia	Trochæum
mi po-	Quarta	Trochæum
etæ.	Quinta	Troch. vel Spõd.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſſime Martialis hæc ſunt.

FIGVRAE.

Iambo & Trochæo Catullus vſus eſt in prima regione:vt,
Meas eſſe aliquid putare nugas. Et,
Arido modo pumice expolitum.
Sed hanc licentiam imitari nos non decet.

SAPPHICVM,

A Sappho:quinque regionib9 ſeu pedibus cõſtat.

Prima	Trochæum recipit	Inte-
Secunda	Spondæum	ger vi-
Tertia	Dactylum	tæ ſcele-
Quarta	Trochæum	riſque
Quinta	Trochęum vel Spond.	purus.

Quomodo ſcribatur docent exempla.
Solent enim tres verſiculi coniungi, & ſubijci Adonicus,qui conſtat Dactylo & Spondæo.

Horatius,

Integer vitæ,ſceleriſque purus
Non eget Mauri iaculis,nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis,
Fuſce pharetra.

IAMBICVM.

ἰαμβίζειν inſectari eſt,ab ἰάπτω,vnde factum nomen generi carminis maledici. Archilochus, ſiue huius carminis author fuerit, ſiue celebrator potius, tanta fuit acerbitate, vt ad laqueum adegerit Lycambem. Ouidius,

Tincta Lycambeo ſanguine tela madent.

Nullius generis tam variæ formæ ſunt: ſed nos de ſenario dicemus.

Alij τρίμετρον vocant, quòd bini pedes ſingula metra faciant. Recipit pedes

Creberrimum Iambum in locis paribus.Et quo plus iamborum habet,eò venuſtior eſt verſus.

Prima admittit Spondæum & Iambum,Dactylum,Anapæſtum & Tribrachum.

Secũda Iambũ,raiò Anapæſtũ, rarius Spondæũ.

Tertia Spondæum,Dactylum, Tribrachum.

Quarta Iambum admittit & reliquos, ſed duriore compoſitione.

Quinta Spondæũ,Iambũ,Dactylũ, Tribrachũ.

Sexta Iambũ. Videmus alicubi recepiſſe & alios pedes,ſed raiò,Amphibrachyn & Amphimacrũ.

Pŏē,tăcūm,prīmumănĭ,mumādſcrī,bēndumāp,
pŭlĭt.
īds ĭbĭ,nĕgō,tīcrē,dĭdīt,ſōlūm,dărī.

ōbſĕquĭ, umămī, cōsvē, rĭtās, ŏdĭūm, părĭt.
ămān, tĭumī, ræămō, rĭsīn, tēgrā, tĭoēſt.
Dīſcōr, dĭā, fitcā, tĭōr, cōncōr, dĭă.

DIMETRI.

Vĕnī, rĕdēm, ptōrgēn, tĭūm.
Mănūm, quĕmĭſĕ, rīspōr, rĭgē.

CHORIAMBICVM.

Choriābicū, quod choriābo pede conſtat. –∪∪–

Prima regio admittit	––	Mœce-
Secunda	–∪∪–	nas atauis
Tertia	–∪∪–	edite re-
Quarta	∪∪ vel ∪–	gibus.

Vicinum choriambico Glyconicum: vt,
Sīc tē, dīuă pŏ, tēns, Cȳprī:

De Scanſione.

Scanſio, eſt metiri verſum, & enumerare pedes.

Obſeruetur autē quòd alicubi ſyllabæ quædam eliduntur. Grammatici fecerunt duas ſpecies.

Συναλοιφὴν, cum vocalis in fine propter vocalē, initio dictionis ſequentis diſſimulatur, ſeu obliteratur: vt,

Non facile eſt æqua commoda mente pati. nam in ſcandendo, facil' legendum eſt.

Ἐκθλεψιν vocant, cum m eliditur: vt, Audendū eſt, fortes adiuuat ipſa Ven⁹. legitur enim audend' eſt. Sic,

Omnibus hoc vitiū eſt cantoribus inter amicos,

Vt nunquam inducant animum cantarê rogati.

Veteres etiam elidebant s:vt, Inter ſe coijſſe viros, & decernere ferro. vbi legitur, Inter ſe coijſſe vir' & decernere ferro, &c.

Et Manilius, Formoſos Phœbus geminos, Cyllenius cancrum. Legitur enim Cylleniu'.

Nonnunquam & aliæ figuræ in carmine vſu veniunt, vt Synæreſis apud Ouidium,
Notus amor Phædræ, nota eſt iniuria Theſei. Et hîc, Quíq; fluet multo nõ deerit vulnere ſanguis. Et hîc, Nos animo quãtúmque ratẽ qui temperat anteit. Et hîc, Ebibe ſeu ſalib⁹ piper adde & tenue cuminũ. Et aluearia quadriſyllabum apud Virgil.

Alicubi nõ ſunt eliſæ vocales: vt, Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis. Et, Te Corydon ô Alexi, trahit ſua quenque voluptas. Et hîc, Poſthabita coluiſſe Samo, hîc illi⁹ arma. Sed habet aſpiratio propemodum conſonãtis naturã: & ſæpe diſtrahit vocales, vt ahenum.

Diæreſis eſt, Stamina non vlli perſoluënda deo.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi. ꝓ aulæ.

Animaduertant pueri & genus verſuũ eſſe quos ὑπερμέτρους appellant, vbi verſui ſupereſt vna ſyllaba. vt apud Virgilium,
Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem,
Aut folijs vndã tepidi deſpumat aheni. Nam in fine ſuperioris verſiculi, ſyllaba vna ſupereſt, quæ tamen eliditur initio ſequentis verſus, quia à vocali incipit.

Vtuntur & Syncopa: vt, Vixet cui vitam Deus

aut ſua fata dediſſent. pro vixiſſet.

Et Paragoge: vt, Sin maculæ incipiet rutilo immiſcerier igni.

Et Apocopa: vt, Téque aſpectu ne ſubtrahe noſtro. pro Adſpectui. Et, Nanque aliæ victu inuigilant. pro Victui.

Pleraque alia vſus docebit, optimus artium omnium magiſter. Nam præceptiones debent pingui Minerua viam quandam ſcribēdi breuiter indicare. Deinde lectione optimorum poetarũ iudicium conformandum eſt, vt quid deceat, quid nō deceat, intelligatur. Manum, inquit Anaxagoras, ſapientiæ cauſam eſſe, cum vellet monere omnes artes vſu, & experiēdo parari. Ita & carminis condendi rationē illi rectiſſime intelligēt, qui & ſcribere ipſi conabũtur: & in ſcribendo ſe ad veterum imitationem omnibus ingenij viribus cōtulerint.

EXCVDEBAT ROB. STEPHANVS
PARISIIS, ANN. M. D. XXXIX.
III. CAL. SEPTEMB.



